


VITT. EMANUELE
12
B

INTRODVCTIONIS IN LOGICAM, Siue TOTIVS LOGICAE Compendij Abſolutiſſimi. Libr. VI.

In quibus, non ſolum quæ ab Ariſtotele de re Logica ſcripta ſunt, ſed etiam quæ ab alijs addita fuere, breui facilique ratione continentur.

Quibus acceſſit Catalogus locupletiſſimus Auctorum, qui de rebus ad Logicam pertinentibus, vel in libros Logicos Ariſtotelis aliquid ſcripſerunt:

AVCTORE LVDOVICO CARBONE

A COSTACCIARO,

Academico Parthenio, & ſacræ Theologiæ in almo Gymnaſio Peruſino olim publico Magiſtro.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, MDXCVII.

Apud Io. Baptiſtam, & Io. Bernardum Seſſam.

D. SERVILIO TREO I.V.D. Excellentissimo,

LVDOVICVS CARBO S. D.



Væ omnia in libris nuncupandis spectanda sunt, ea in te præcipue, Excellentissime Tree, inueniri, iam diu plane perspectum habeo. Vnde fit, vt si cui hæc mea lucubratio consecranda erat, tibi priuatim consecrari posse, ac debere existimauerim. Primum quidem, quod eius Patronum optimum contra calumniatores, si qui erunt, te fore omnino confido: vt qui in patrocinãdo tot iam annos, summa cum laude verseris, aliasque meas lucubrationes celebrare apud omnes soleas. Quare, si vllus vnquam meus libellus sub alterius patrocinio tuto foras exiuit, hic sub tuo tutissime exire poterit: cum nemo ita ad calumniandum sit propensus, quem tua auctoritas a calum-

lumniando deterrere non queat. Deinde, si ijs potissime opera dicanda sunt, quibus se plurimum homines debere sentiunt; ex hoc sane capite ad hos meos labores omni animi studio tibi consecrandos, caussis non leuibus impulsus sum. Nam, vt paullo ante dicebam, cum te apud multos meorum scriptorum eum prædicatorem habuerim, qualem alium fortasse neminem; profecto non poteris non defendere id, quod tuæ priuatæ fidei commissum fuisse videbis. Optime nanque noui, te non modo meis scriptis, quæ de arte dicendi in lucem dedi, mirifice delectari; sed etiam ad ea sibi comparanda alios sæpe fuisse hortatum. Et, quæ tua fuit humanitas, ea aliquando apud viros doctos de me dixisti, quæ ego, ne cogitare quidem, vnquam ausus fuissem. Quare, cum nihil homini in hac vita possit optatius accidere, quam a laudato laudari viro; tantum me tibi debere sentiebam, quantum hac mea lucubratione, si rem solam oblatam spectes, me persoluere non posse plane intelligo. Huc accessit, quod post initam inter nos amicitiam nonnullis muneribus me ornasti; quibus, etsi non nihil reddidi; par tamen pari (etiamsi cum illis eas laudes connumerem, quibus te celebrare soleo) non reddidisse, haud ignoro. Neque enim tantæ sunt meæ, vel animi, vel fortunæ opes,

vt

vt tecum vtroque bonorum genere locupletissimo certare queam. Ne igitur ingrati animi vitio, quo nullũ est maius, abs te accusari possem; hoc nouum munusculum tibi mittere volui: & vt apud omnes testatum relinquerem quantum, pro tua in me beneuolentia, me tibi debere sentiã. Quas duas attuli huiusce meæ nũcupationis caussas, eæ sunt quidem graues; sed quam nunc subijciam, est omnium grauissima, tua nimirum virtus, egregiaque animi ornamenta; quæ tibi tu studio atque labore parasti: vt ea omittam, quæ a benefica in te natura tibi tributa sunt, aut aliunde accessere; generis nobilitas, patriæ splendor, corporis dotes; quæ, cum extrinsecus aduenìant, minorem merentur laudem. Si itaque, vt omnes viri docti fatentur, vni soli virtuti verus debetur honos, & qui alterius virtutes norunt, ni iniusti videri volunt, eius opinionis quam de aliquo habent, debitum fructum reddere debent; profecto, cum quantum doctrina moribusque excellas ex alijs cognouerim, atque ipse viderim, non solum hanc lucubrationem tibi honoris caussa consecrare debui, sed etiam longa oratione tuas virtutes celebrare deberem: faceremque, si vnius, vel alterius paginæ angustijs ea includi possent, quæ iusto vix libro explicare liceret. Ne itaq; de maximo tua-

rum laudum cumulo aliquid detrahere velle videar, cum is non parum detrahat, qui leuiter laudat, quæ & quanta sint animi tui ornamenta alijs proponam; ex quibus qua sis laude dignus facile intelligent. Tua itaque, optime Seruili, in Deum pietas, in patriam caritas, in pauperes misericordia, in amicos obseruantia, in clientes fides, in reos clementia, in omnes affabilitas & munificentia, aliæque virtutes omnes, quibus ornatus es, te omnium celebratione dignum reddunt. Tu nanque semper religionem coluisti, intactãque seruasti, & Christianæ pietatis, ijs qui tuæ honestissimas vitæ rationes norunt, claram significationē præbuisti: tu patriæ tua iura, ac priuilegia, immunitatesque, summo cum labore, prudentiaque sæpe defendisti, eiusdemque caussa multas Legationes suscepisti, & susceptas sapienter obiuisti: tu tuæ ciuitatis pauperes incolas & agricolas a grauibus oneribus liberasti, eorumque caussas sola pietate commotus egisti; quod qui faciunt, quam proxime ad cœlestem Parētem accedunt: tu tuos ciues in consensione & pace retinuisti: tu deniq; aliorum rem, famam, honorem, vitamque contra iniquitatem sæpissime conseruasti, nec quemquam tuam opem iure implorantem, vnquam repulisti. Sit mihi non falso adulatori, sed vero laudatori, eorum

quæ

quæ dixi testis Vtinum patria tua, totusque Vtinensis ager: sit Taruisium, vbi Vicarius summa cum tua laude, & omnium approbatione fuisti: in quo munere gerendo, ita tuæ prudentiæ, constantiæ, & iustitiæ omnem in partem splendorem diffudisti, vt iure optimo ciues omnes, & speciatim pauperes, quorum tu iuuandorum mirifico desiderio exardescis, tibi omnem fœlicitatem sæpissime sint comprecati, idemque nunc te absente faciant. Sit Vicetia, vbi nunc eandem personam agis, & ita iustitiam administras, iuraque dicis, vt doctissimi quique tua responsa, quasi oracula quædam admirentur, ac celebrent. Hæc dum agis, non adumbratam quandam, sed luculentam, expressamque formam administrandæ iustitiæ aliis exhibes: dum, inquam, sagaciter omnia peruestigas, improbos coerces, innocentes tueris, suum cuique tribuis, æquitatem seruas, nec amore, nec timore, nec vlla alia animi perturbatione, cum omnibus vaces, ab iusto vnquam te dimoueri sinis. His itaque in locis, sicuti & Venetiis, vbi de tuorum ciuium bono sæpe, vt publicus minister egisti, non solum earum quas dixi virtutum, sed etiam singularis tuæ eruditionis, id indicii dedisti, vt te omnes Iuris vtriusque peritissimum, Oratorem egregium, & omnium bonarum artium do-

ctrina ornatum esse plane cognouerint; & id in te admirati sint, quod in paucis reperitur, doctrina cum rerum agendarum ratione coniuncta. Quotus enim quisque est, qui cognitione, & actione excellat, vt tu Seruili facis? Eloquentiæ vero, tunc priuatum specimen exhibuisti, cum orationem non ieiunam, non nudam, sed rerum genere eruditam, varietate copiosam, sententijs illustratam, verborum selectione cultam, schematibus pictam, atque dicendi forma ornatam, apud Illustriss. Palmæ nouæ vrbis ædificãdæ Præfectos, vt vnus e septem Designatis, habuisti: quam vir eruditus & eloquens Augustinus Michaelius, ne tanto bono bonarum literarum studiosi careret, tua cum laude in lucem dedit. Itaque, tu Iurisprudentiam non indotatam, incomitatam, atque incomptam apud te esse voluisti; sed eam verborum dote locupletasti, cæterisque artibus ornasti. Quo fit, vt quæ amplißimæ laudes Iurisprudentiæ, & Eloquentiæ tribui solent, tibi I.V. & Oratoriæ facultatis peritißimo eæ debeantur omnes. Tuis itaque virtutibus, tua doctrina, tuisque rebus gestis, ad eos dignitatis gradus, qui sunt in tua Ciuitate supremi, & speciatim ad eum, quem Deputatum vocant, peruenisti, atque omnium, qui te norunt, beneuolentiam conciliasti, quotidieque cõcilias:

vt

ut nemo sit, qui de te aliquid audiuerit, qui in tuam amicitiam sese insinuare non studeat. Quare, gratias habeo immortales Mag. Marco Marcello mihi multis de caussis amicissimo, & sacra Baptismi affinitate coniuncto, cum per eum mihi ad tuam amicitiam aditus patuerit. Cum ergo praeclara animi tui ornamenta, ut dicebam, sint omnibus explorata; quid est, cur ego lōga oratione ea celebrare debeam? Hic igitur esto meae nuncupationis finis, quam eo animo excipias cupio, quo a me tibi offertur; grato nimirum, atq; beneuolo: id, si tu feceris, ego operam dabo, ut alias aliquod maius meae erga te obseruantiae extet testimonium. Vale.

Venetijs Non. Iun. 1597.

INDEX CAPITVM SINGVLORVM LIBRORVM.

LIBRI PRIMI CAPITA.

Libri Secundi Capita.

Libri Tertij Capita.

De

Libri Quarti Capita.

Libri Quincti Capita.

De

Libri Sexti Capita.

Quo-

Indicis Capit. Finis.

INDEX
RERVM
NOTABILIVM.

A

B

C

D

E

G

H

I

Q

R

S


FINIS.

CATALOGVS

SCRIPTORVM

In libros Logicos Aristotelis, & in Porphyrij Isagogen.

A



Cademia Veneta in libros Topicos.
Aegidius Romanus in lib. priores, & posteriores.
Albertus de Saxonia in lib. Logic.
Albertus Magnus in omnes libros Logicos.
Alexander in lib. priores, Posteriores, Topicos, & Elenchos.
Alfonsi Barocij Ferrariens. in lib. Perihermen.
Ammonius in prædicab. prædicam. & Perihermen.
Angelus Senensis in Logicam Arist.
Angelus Thius in Logicam, & prædic.
Antonij Andreæ in artem veterem, cum quæst. & in libr. Boet. de diuisionib.
Antonius Demochares in lib. Topicos.
Apollinaris in lib. 1. Poster.
Auenroes in omnes libros Logicos. Expositio media in lib. Poster. Epitome Logicæ, Varia quæsita.
Augustinus Niphus in omnes lib. Logicos Arist.

B

Bartholomæi Spinolę in Perihermen. & lib. Posteriores.
Bernardini Petrellæ Commentaria in lib. Posteriores.
Eiusdem de potissima demonstratione.
Bernardini Tomitani in lib. Elenchos.
Boetius in Porphyrium a Victorino translatum in eundem a se Latinum factum, in lib. Perihermen. Commentaria maiora, & minora: Introductio ad Syllogismos Categoricos,

ricos,

ricos, de Syllogiſmo Categorico, & Hypothetico; de diuiſione, definitione, & differentijs Topicis.

Buridanus in artem veterem.

Burleus in prædicab. & prædicamenta.

C

F. Cæſaris Lanza in Porphyrium.

Collegij Coimbricenſis Commentaria in Logicam Ariſtotelis.

D

Daniel Barbarus in Porphyr.

Dexippus in prædicamenta.

Doctores Louanienſes in Logicam Ariſtot. Priores. Topic.

Doctores Pariſienſ. in Logic. Ariſtot.

F. Dominici a Soto in Porphyr. prædicament. & poſter.

Dominici de Flandria quæſt. in lib. Poſteriores, ſuper doctrina D. Thom. & in Opuſculum de Fallacijs.

E

Euſtratij Epiſcopi Niceni in librum 2. Poſteriorum.

F

Fabij Gliſcentij in Porphyrium, in prædicament. lib. ſex principiorum, Perihermen. Priores, & Poſter.

Franciſci Mayronis in prædicab. & prædicam.

Franciſci Toleti in Porph. prædicam. Periherm. & lib. Poſteriores.

Franciſcus Ferrarienſis in lib. Poſteriores.

G

Gaſpar Villepandeus in lib. Logic.

Gratia Dei in artem Veterem, ideſt in Porph. prædic. Periherm.

Gulielmi Ocami in artem Veterem.

H

Hieronymi Balduini in lib. Periherm. Poſter. Commentaria. & alia Opuſcula, ſeu quæſita Logica. de medio demonſtrat. de regreſſu, de propoſit. neceſſaria, de demonſtratione, an definitio ſit nobilior demonſtrat.

Hieronymi Gauaterij commentaria in Porphyrium.

Honoratus de Robertis in prædicab. & Prædicamenta.

Iacobi

I

IAcobi Fabri Stapulen. in omnes lib. Logicos paraphrases.
Iacobi Zabarellæ, in lib. Posteriores, & in alios Tabulæ, de methodis, de ordine doctrinæ, prolegom. in Logic. & Apologia.
Innominati auctoris expositiones compendiariæ in libr. 2. Posteriorum.
Ioan. Baptistæ Rubei in Porphy. prædicam. Periher. Poster. & introductio in Logicam.
Ioan. Duns Scotus in vniuersam Logicam qq. exactissimæ.
Ioan. de Magistris in vniuersam Logicam.
Ioan. Frācisci Buranæ in lib. Priores a se traductos, cum Adnotationibus Io. Baptistæ Bagolini.
Ioan. Grammaticus in lib. Priores & Posterior.
Ioan. Ludouici Cartarij conciliationes in libros posteriorū.

L

LEui Gersonides in Porph. prædicam. & Periherm.
Linconiensis in lib. Poster.

M

MAgentinus in lib. Periherm. & lib. Priores.
Marsilij quæstiones in lib. Priores.
Michael Psellius in lib. Periherm.

P

PAuli Veneti Commentaria in lib. Posteriores.
M. Petri Tartareti in summulas Petri Hispan. & quæst. in omnes lib. Logicos.
Philippus Zaffinus in posterior.
Philoponus in libros priores & Posteriores.
Porphyrij libellus in prædicamenta.

S

SImplicius in Prædicamenta.
Stephani Caruisij Catena aurea in totam Logicam cum expositione.
Eiusdem parua logicalia, de terminis, suppositionibus, &c.

T

THemistij paraphrases in Poster.
Thomas a Vio Caietanus in Porph. & prædic. poster.
Thomæ de Suetonia Angli in prædicamenta.
Vincentij Iustiniani in vniuersam Logicam commentaria.

Catalogus Auctorum qui de rebus ad Logicam pertinentibus aliquid ſcripſere.

A

AEmilij Acerbi quæſt.in Logicam libr.4.
Alexandri Pomellij methodus Syllogiſtica.
Algazelis Logica.
Angeli Hidruntini qq.Logicæ.
Antonij Bernardi Mirandul. Inſtitutio in vniuerſam Logicam,& Apologia.
Antonij Coronel Roſarium de paruis Logicalibus.
Arabum quorundam variæ Epiſtolæ ad Logicam pertinētes,quæ habentur apud Auenr. in lib. Logicis.
Aſcanij Perſij Logicarum exercitationum.
Auicennæ Logica.
Audomari Talei dialectica.
D. Auguſtini Categoriæ,ſiue prædicamenta.
Auguſtini Hunnei de dialectica, ſeu generalia Logicæ præcepta.
F. Aurelij a Linario de Logica Tractatus.
Bartholomæi Manceni de Logica Tractatus.
Bartholomeus Vlottus de demonſtrat.
Benedicti Victorij in Tisberum de ſenſu compoſito,& diuiſo,& collectanea in ſuppoſitiones Pauli Ven.
Bernardini Carmelitæ opuſculum de ſenſu compoſito.
Bernardini Manceni Tractatus de Logica.
Bernardini Petrellæ Tractatus de potiſſima demonſtratione,& q. Logicæ.
Bonromeus Baſacomatrius in Logic.
Chryſoſtomi Iauelli Commentaria in Logic. ſiue Logicæ compend. 11. Tractatibus comprehenſum.
Claudij Alberij organum,duobus Tomis.
Claudij Beti Mutinenſis inſtitutio de recta diſcurrendi ratione.
F. Conſtantij a Sarnano de ſecundis intentionibus ſecundū doctrinam Scoti, Tractatio.
Dominici a Soto ſummulæ Logicę.
Flamininij Nobilij quæſt. Logicæ.

Fracan-

Fracantiani in consequut.& de sensu composito, & diuiso.
Francisci Beati discursus in prædicamenta.
Francisci Storellæ Logica.
Francisci Terilli de Methodo scientiarum.
Francisci Titelmani de consideratione dialectica lib.6.
Francisci Toleti, Introductionis in Logicam Arist. lib. 5. cũ præludijs,& Tabulis Ludouici Carbonis.
Franciscus Pratensis de ente rationis, & terminis Logicalibus.
Federici Beurheusij M.T. Ciceronis Dialecticæ lib.2.
Gabrielis a Guillart Tractatus de terminis.
Georgij Henischij Institutionum Dialecticarum libri 7.
M.Georgij Salzhueberus Logica contra Ramosophistas.
Georgij Vallæ Placentini de expedita ratione argumentandi.
Georgius Bruxellensis in Logicam.
Georgij Trapezuntij Dialectica.
Guilhelmi Adolphi Triumphus Logicæ in P. Ramum.
Gulielmi Lapidaurí Methodus Dialecticæ Aristotelis.
Gulielmi Ocami summa totius Logicæ.
Henserici opusculum de sensu composito.
F.Hieronymi Sauonarolæ Logica.
Iacobi Iacobellij Romani aduersus Mirandulanum de prædicamentis Aristot.
Ioachimi Perionij Dialecticæ lib.3.
Ioan.Anglici quæst.in Logicam.
Ioan.Antonij Delphini Dialectica.
Ioan.Antonij Scotij de potissima demonstratione q. vnica.
Ioan.Arborei in Logicam, varia.
Ioan.Bernardini Longi in Prolog.Auenrois in lib. Poster.
Ioan.Cesarij Dialecticæ.
Ioan.Iacobi Pauisij Calabri in Prologum Auenr. in Poster.
Ioan. Ludouici Cartarij q. siue de primis principijs in vniuersam Logicam.
Ioan. Nicolai Rogerij disputatio de medio demonstrationis,& Apologia.
Ioan.Sanderi Angli Institutionum Dialecticarum lib. 4.
F.Ioannis Vallonis lectura in formalitates Scoti, cũ alijs tractatibus.

Iodoci

Iodoci Clictouei introductio in terminos Logicos.
Irenæi Brasiuoli de primis, & secundis intentionibus.
Iulij Feltrij dilucidarium Logicæ.
Laurentij Vallæ Dialecticæ lib. 3.
Ludouici Carbonis Introduct. in Logica lib. 6. Eiusdem additamenta in Toletum.
Marci Meliorati a Laureto Præfationes in Logicam.
Martiani Capellæ Dialectica.
Matthæi Domiensis totius Logicæ compendium.
Melchioris Zoppij sermones analytici, & alia opera.
Nicephori philosophi insignis Logica.
Nicolai Masse de Logica libri 7. Italice.
Opus quod liber Isagogicus inscribitur introductorius ad doctrinam Scoti, & Aristot. Tractatus 7. in singulos libros Logicos.
Pamphili de Monte de mista generatione syllogismi quæstiunculæ.
Panetius in Prologum Magnum Auenrois.
Pauli Veneti Logica, cum expositione Mengi.
M. Pauli Pergulensis Logica.
Petri Catenæ in locos Mathematicos Posteriorum.
Petri Fonsecæ Dialecticarum institutionum lib. 6.
Petri Hispani Tractatus quinque Summularum cum expositione Versorij, & Ferdinandi Enzinas.
M. Petri Mantuani Logica.
Petrus de Alyaco de terminis.
Remigij Florentini de medio termino.
Remigius melioratus de propositione de inesse, & de medio demonstr.
F. Roberti Kamuil Angli quæstiones Logicales.
Rodolphi Agricolæ Dialecticæ lib. 3.
Rodolphi Goclerij problematum Logicorum lib.
M. Santij Tarranta de Miranda progymnasmata Logica.
Scandianensis Dialectica, Italice.
Simonis Minisenij primę operatio. intellectus libellus, in quo breuiter declarat prædicab. & prædicamenta.
Socinatis Introductio.
Siluestri de Pierio Pedemontani Introductio in Logicam.
Eiusdem Apologia de secundis intentionibus,

Theodo-

Theodorici de Vlimbergo origo prædicabilium.

D.Thomæ opuscula varia ad Logicã pertinentia, opuſ.30. de demonſtrat.39. de fallacijs 40. de modalibus 41. de natura accidentis 42. de natura generis 47. de natura ſyllogiſmi 48. ſumma totius Logicæ 50. de inuentione medij, 55.& 56. de vniuerſalibus.

Tisberus de ſenſu compoſito, & diuiſo in quem Alexander Sermoneta, Bernardinus Petrus de Landucijs, Paulus Pergulenſis,& Baptiſta de Fabriano.

M.Tullij Topica, cum Commentarijs Boetij, Georgij Vallæ, Ioan. Viſorij, Bartholomæi Latonij. Vincentij a Quintiano Brixienſ. fragmenta.

F I N I S.

Maiora menda ſic emendato.

Pag. 27. verſ. 28. &, vacat.
pag. 83. verſ. 1. hanc aliam.
pag. 88. verſ. 14. extrema enunciationis.
pag. 92. verſ. 31. vt
pag. 112. ver. 4. Leo non eſt.
pag. 146. ver. 28. E ſubiectum & v. 29. 8. vacat.
pag. 165. ver. 25. neceſſaria.
pag. 181. ver. 30. communior.
pag. 183. ver. 25. reſpectu.
pag. 187. ver. 30. huc. pag 205. ver. 5. multis.
pag. 211. ver. 7. duæ. pag. 218. ver. 30. &
pag. 235. ver. 6. licet & ver. 35. quod dum fit.
pag. 236. ver. 22. id quod.
pag. 248. ver. 30. tertium.
pag. 250. verſ. 30. queat.
pag. 265. ver. 11. entia.
pag. 272. ver. vlt. Logicis.
pag. 278. ver. 7. ſine.

AD LIBRI AVCTOREM Franc. Giannettani Carmen.

SVnt longe à nostrà gentes regione remota,
Quæ, cum mortales videant inhiare metallo,
Quod pretio cunctis præstans, natura recondit
Terra, inquirentes tenebrosa ad tartara tendunt:
Ac vbi peruentum, effodiunt è viscere montis
Illud, quod studio vena rimantur in omni.
Noctes atque dies in tetro carcere sudant;
Effossum exportant donec sub luminis auras:
Omnes quo tandem pretioso munere gaudent.
Non secus ipse artis Logices, Ludouice, sepultam
Quæsisti veram methodum, herculeoque labore
Eruis è tenebris, & quæ caligine tecta
Iam fuerant, eius vulgo mysteria pandis.
Te duce nunc, tanquam in speculo, cognoscere cuncti
Certa queunt, procul amoto velamine falsi.
Atque, vbi cunctarum sedem regina locauit
Virtutum, duce te facilè huc euadere tuto.
Hinc plaudit studiosa cohors: hinc gaudia passim
Effundit: laudes pleno tibi concinit ore:
Index lætitiæ sonus aurea fertur ad astra.

Eiusdem ad Lectorem.

DOgmata mæandris Logices sinuosa sophorum
Turba prius docuit, lege tamen dubia.
Quæ iuuenes multo quondam didicere labore,
Tempore nunc possunt rite tenere breui:
Perspicuè hic totam sic artem tradit, aperte
Vt Phœbus Cœlo fulgeat ipse minus.
Pluribus ac vni quid congruat ordine certo,
Quid demonstretur, perdocet arte noua.
Quoque modo possit certo fallacia tolli,
Pendeat ex alio, quidque sequatur item:
Eruta nunc tenebris doctè, tam lucida fecit,
Quilibet, vt Logices abdita nosse queat.

INTRODVCTIONIS IN LOGICAM,

Siue totius Logicæ Compendij absolutissimi,

LIBER PRIMVS.

In quo Logicæ natura, caussæque, & attributa explicantur.

De nominibus Logicæ. Cap. I.



N omni arte & disciplina, cum ratione tradẽda, a nominis subiectæ rei cognitione auspicandum esse, & ratio manifeste demõstrat; & communis omnium sapientium confirmat auctoritas. Cum ergo Institutionem quandã in eam artem quæ ad omnes disciplinas recte cognoscẽdas viã rationemq; cõmmõstrat, scripturi simus, de eius nominibus breuiter; vt Institutionis ratio postulat, priore loco agemus. Ea igitur facultas quæ quasi ianuam ad omnes alias se præbet, tres potissimũ appellationes apud Græcos est sortita, quæ sunt istæ, Dialectica, Logica, & Organum, quibus, quasi suis, iandiu vtuntur Latini.

Cic. lib. 1. offic. Aristot. 1. Poster. cap. 1. Socrat.

Mart. ca.

Primi ergo huius artis cultores apud Græcos, eam appellarũt, Dialecticã, a verbo dialegesthe,

A quod

Marſ.Fic. quod eſt, ſermone vti, ſermonem̃ inter ſe habere, diſceptare, diſputare, non ratiocinari, vt aliqui exiſtimarunt, atque diſſerere. Diſſerere autẽ
M.Var. proprie, eſt, ſemina in varias partes ſerere, & per trãslationem, verba facere. vnde, a Latinis, diſſertrix, diſputatrix, diſceptatrix, & vt aliqui voluerunt, diſſertura, & diſputatura, ad eum modum quo dicimus agricultura, & literatura, nuncupatur.

Bud in com. Logica, ſiue Logice, dicta eſt, apo tu logu, Logos autem apud Græcos, hæc fere ſignificat, rationem, mentem, orationem, ſermonem, definitionem, modum, ſeu proportionem, ſupputationem, librum, famam, & opinionem. Hoc loco
Senec. ſumitur, in prima ſignificatione, vt Logica Latine, deſignet facultatẽm rationalem, vel quia rationem dirigit, doctrinamque recte ratiocinandi docet, vel quia entia rationis, hoc eſt, res quaſdã rationem ipſam conſequentes tractat, vt planius infra dicetur. Nõ dicitur itaque Logica præcipue à ſermone, vel ab oratione, quaſi ſermocinalis, & orationalis facultas; cum ex ſe nõ tractet ſermonem.

Organum, Latine inſtrumentum, ideo appellatur, quia eſt veluti inſtrumentum ad ſcientias acquirendas, & tanquam ars inſtrumẽtaria, quæ ſciendi inſtrumenta tradit in alijs ſciẽtijs neceſ-
Diog. Laer. ſaria: Quam ob cauſſam, vt quidam ſcribũt, ſuos de hac arte libros Ariſtoteles Organũ, inſcripſit. Vnde patet, cur etiam ſciendi modus vocari ſo-
2. Meta. t.15. leat: quia modum ſciendi docet.

Atque ex dictis colligeres, quam inepte aliqui dixerint, dictam eſſe Dialecticã, a dya, & logos, quaſi duorũ ſermo, cum non verſetur in ſermone: vt omittam, quod iſta etymologia pugnat cũ orthographia, cum dialectica nõ ſcribatur per y.

ſed

sed de nomine hæc sint satis: sequitur vt de re ipsa, hoc est de Logicæ natura agamus.

De Logicæ natura, siue de eius materia, & forma. Cap. II.


Voniam, vt Aristoteles varijs in locis scriptum reliquit, tunc alicuius rei natura a nobis perfecte cognoscitur, cum eius caussas perspectas habemus; ideo, vt Logicæ naturam breuiter ob oculos ponam, quæ sint eius caussæ paucis explanabo: Vt autem id plane efficiamus, nonnulla prænotanda sunt. 1. Physic. tex. 1. 1. Poster. tex. 5.

Primum, rerum caussæ quattuor numerātur, materia, formā, efficiēs, & finis. Materia dicitur ea ex qua aliquid fit, vt ex lapidibus domus, ex ligno tabula: quare lapides sunt materia domus, & lignum tabulæ. Forma est illa, quæ vna cum materia totam rem absoluit, remq; in certa specie constituit, & ab alijs distinguit; vt anima rationalis hominem & albedo, album. Est autem forma duplex: altera interna, quę essentialis dicitur; vt anima sensitiua, quæ est forma animalis: altera accidentalis, quæ est extra rei naturam, ut cādor in niue, caliditas in aqua. Efficiens est id, quod rem efficit, id vnde incipit operatio, quo modo sol est caussa diei, magister caussa lectionis; & ignis caussa vstionis. Finis est id cuius gratia res fit; vt belli, pax: lectionis, scientia: & hominis, beata vita. Duæ priores caussæ dicuntur intrinsecæ, quia sunt intra rem, ex quibus intrinsece res constat, ac proinde naturam conficiunt: posteriores vero extrinsecæ, quia sunt extra rem effectā. 2. Physic.

Materia in aliqua arte est ea, in qua ars versat,

quam explicat, & tractat, quam sibi cognoscendam proponit: quæ subiectum, & obiectum dici solet; vt Grammaticæ cõgrua oratio. Est autem artis materia duplex: altera remota, quam ars psupponit, vt ars tignaria ligna in siluis; altera pxima, & est ea, quam proxime ars tractat, & in quam inducit formam; vt lignum, quod ab artifice dolatur.

Aristot. Præterea ad explicandum quænam sit Logicæ subiecta materia, notandum est, intellectum humanum, qui est facultas qua cognoscimus, tres habere operationes; vnam, qua apprehendit aliquid simplex, vt cum concipit, & intelligit hominem: alteram qua vnam rem cum alia coniũgit, affirmando uel negando; vt, cum homini attribuit animal; de eodem negat lapidem: tertiam, cum ex vna re cognita, aliam ratiocinando colligit; vt, homo est animal; ergo est sentiẽs. Et quoniã hæ tres operationes imperfecte a nobis exercentur, opus fuit quadam arte, quæ eas dirigeret & perfectas redderet; ipsa nimirum Logica, quę doctrinam tradit, qua rectè apprehendamus, cõponamus, & ratiocinemur: & ideo dici solet recte cognoscendi facultas. Et quoniam nihil potest dirigi, nisi per aliquam regulam, in Logica quædam res explicantur, quæ sunt veluti regulę ad dictas operationes dirigendas: quę sciendi instrumenta, vel entia rationis vocãtur; de quibus postea fusius, hic breuiter aliquid dicemus.

Ens, participium a verbo substantiuo, sum, significat id, quod est; sicut currẽs, id quod currit. Est autem aliquid, vel extra intellectũ in rebus ipsis; vt homo, cœlum, ignis, & id genus alia; & hæc vocantur entia realia, hoc est, in rebus extra suas caussas actu pducta, & existentia. Alia sunt, quæ ideo esse dicuntur, quia sunt per intellectũ,

vel

vel non sine intellectu esse dicuntur; vt ea quæ ab intellectu finguntur, vt mons aureus, chimæra, & similia: & ea quæ rebus non attribuuntur, nisi prout concipiuntur, & esse dicuntur in intellectu, sicuti res visa dicitur esse in oculo videte. Rebus igitur in intellectu existentibus adueniūt quædam extrinsecæ affectiones, & denominationes, relationesve, a quibus extrinsece nominantur; vt homo seorsim a singularibus per intellectum consideratus, dicitur vniuersalis propter respectum ad inferiora, in quibus est, & a quibus abstrahitur: dicitur, prædicabile, vt de illis prædicatur, illisque attribuitur: dicitur species, vt refertur ad indiuidua. Similiter, animal dicitur genus, propter respectum ad speciem, quæ dicitur subiectum, prout de ea genus, vt quid superius prædicatur. Hæ igitur & aliæ similes denominationes & relationes, quæ adueniunt rebus, vt cognoscuntur ab intellectu, dicuntur entia rationis, quod per rationem rebus extrinsecus adueniant. Sicuti paries qui ab oculo percipitur, denominatur, visus, & per relationem quam habet ad dexteram, denominatur dexter. Atque hæc sunt illa entia rationis, quæ dicuntur considerari a Logico, qui dum considerat affectiones illas, quæ adueniunt rebus, vt apprehenduntur, componuntur, atque ex alijs colliguntur, ipsas intellectus operationes dicitur dirigere. Ex quibus crassa quadam ratione intelligere licet, quod sit Logicæ subiectum, & quæ materia.


Si de materia proxima loquamur, aliqui dicūt esse tres intellectus operationes, quæ ab ipsa diriguntur: alij affirmant esse entia illa rationis, uel ens rationis, vt est instrumentum dirigendi easdem operationes, vel aliquod instrumēti genus, vt est argumentatio, & syllogismus: Si vero de

remota loquamur, materia remota sunt res ipsę, quas Logica supponit, in quibus entia rationis, quas secundas intentiones hoc est res secũdo loco intellectas vocant, fundantur. Sed de obiecto hactenus: nunc de forma dicamus.

Cum Logica sit habitus quidam in ratione existens, quo aliquid cognoscimus, & omnes huius ordinis habitus, sint, vel ars, quæ est recta ratio aliquid efficiendi, vel scientia quæ est certa veritatis notitia, vel practicus, qui ad agendum refertur, vel speculatiuus, qui in sola cognitione consistit; nunc breuiter dicimus, Logicam potius esse scientiam, quam artem, & potius speculatiuã, quam practicam: quippe quæ nullum opus proprie efficit, nec ad effectionem, siue actionem refertur.

Atque ex duabus Logicæ caussis, & ex ijs quæ diximus, quid ipsa sit colligere licet, quam hunc in modum describeres. Logica est habitus directiuus operationum intellectus: vel, scientia de ente rationis, vt est directiuum operationum intellectus. Vel facultas, quæ methodũ tradit, qua obscura definiendo manifestantur, confusa diuidendo discernuntur, & ueritates confirmantur, erroresque argumentando refelluntur. Tolet.

De caussa efficienti, fineque Logicæ. Cap. III.



QVod attinet ad caussam efficientẽ, si loquamur de Logica naturali, hoc est de illa ui quæ hominũ mentibus est ĩdita a natura, qua aliquo pacto tres operationes intellectus sine doctrina exercemus; certũ est huius aucto- Arist. lib. 1. Rheto cap. 1.

rem

rem esse Deum opt.max.a quo, vt proxime men tem habemus, ita illas primas notiones, & initia quædam huius artis, quæ excolẽdo ad perfectio nem homines traduxerunt. Qui vero extiterit præceptorũ artisve obseruator, aut scriptor primus non constat. Hoc tamẽ exploratum est, Aristotelem non fuisse primum inuentorem, cum ante ipsum nonnulli de re Logica scripserint, ac præcepta tradiderint, vt ex ipsomet Aristotele discimus. Cice. lib. de leg. Lib. 2. Elenc. Bessar.

Cæterum, illud de Aristotele affirmare licet; si ex ijs, quæ nunc extant Logicę monumentis, iudicium fiat, ipsum hanc artem ad methodum redegisse, & magis absolutã posteris tradidisse: si ijs de rebus loquamur, quæ ad huius artis substantiam pertinent. Quædam tamen quæ ab ipso prætermissa fuere, ab aliis postea accepimus, vt a Porphyrio quinque vocum explicationem, a Boetio doctrinã de definitione, diuisione, & syllogismis hypotheticis; a Gilberto, absolutã sex prædicamentorum tractationem, & ab aliis quibusdam alia quædam, quæ iam inuentis addere haud difficile fuit. Licet ergo Aristoteles nõ fuerit inuentor; tamen quia eam, quod attinet ad substantiam, perfecit, merito perfector dici potest; iureque eius libri leguntur, & ipse pro magistro habetur; quamuis quæ scripsit multó facilius, & clarius docere potuisset.

De huius facultatis fine, breuiter dixerim, ei⁹ finem esse notitiam modi sciendi, per quam diriguntur operationes intellectus, vt postea rerum cognitionem sine errore, & cum facilitate comparare liceat. Est itaque Logica, facultas, quædã, qua intellectus in seipsum reflectendo seipsum docet & dirigit, vt postea sic informatus ad alias sciẽtias accedat. Atque ex allatis Logicæ caussis,

quandam eius definitionem magis absolutam cõficere licet.

Est itaque Logica ſcientia rationalis, lumine naturali ſtudioque acquiſita, intellectus operationes ad recte cognoſcendum idoneas reddens. Dicitur, ſcientia, quia eſt habitus quidam certus & euidens, qua particula eius indicatur categoria, & genus, & forma. Dicitur, rationalis, vt demonſtretur eius obiectum, ſiue materia, ſcilicet ens rationis, vel intellectus operationes, & ſubiectum, in quo ineſt, nimirum ratio. Dicitur, lumine naturali, &c. vt eius effectrix cauſſa maniſeſtetur. Aliis denique verbis eius effectus, cauſſave finalis indicatur. Atq; de Logicæ natura hactenus, quæ ex iis quæ deinceps dicemus, maniſeſtior fiet.

Quæ ſint in rebus cognoſcendis impedimenta, & qua ratione in rerum cognitionem veniatur, vel res ad noſtram intelligentiam veniant. Cap. IIII.



VT quæ de natura Logicæ, & quæ in ea ac etiam in tota philoſophia docentur, longe melius intelligi poſſint; meo quidem iudicio, neceſſaria eſt aliqua ſaltem rudis eorum q̃ hoc capite explicanda propoſui notitia. Qui ergo rerum naturas per ſeipſos primũ inueſtigare cœperunt Philoſophi, ij nonnulla habuere impedimenta; quibus præpediti, & tarde diſcebant, & ſæpe in graues errores incidebant. Inter alia autem fuerunt iſta; primum quod neſciret qua ratione res extra nos poſitæ ad noſtrã venirent intelligentiam, & quo pacto, & quibus

viribus, quove cognitionis genere, cũ inter sensum & intellectum non distinguerẽt, a nobis cognoscerentur; Alterum multitudo & confusio rerum, earumque obscurę & tectæ naturæ. Postremum, defectus modi cognoscẽdi, & methodi qua facile in rerum intimas naturas intratur. Quæ impedimenta habent omnes, qui primum ad rerum notitiã acquirendam accedunt; ac ꝓin de ea in hac nostra Institutione, suis in locis, remouere conabimur; & primum quidem hoc loco, dũ quæ & quot sint operationes intellectus, in quibus dirigẽdis Logica est occupata, vt supra de fine agentes diximus, explicabimus; quod dũ fiet, docebitur etiam, quo modo intellectus in rerum cognitionem veniat, aut res in nostram intelligentiam intrent.

Vt ergo quæ diximus, facile præstemus, animaduertendum est, hominem conflatum esse ex animo & corpore, habereque aliquas potentias, siue facultates ex parte corporis, alias ex parte animæ, quibus omnes suas operationes exercet. Est autem anima vniuerse sumpta triplex; vna q̃ dicitur uegetatiua, qua res nascuntur & adolescunt; vt est illa quæ reperitur in herbis & arboribus; alia sensitiua quæ animato tribuit aliquem sensum, ut tactum & gustũ, quæ reperitur in brutis; alia intellectiua, quæ in solo est homine, qua sapit, & intelligit. Aristo. 2. de Ani.

Anima uegetatiua tres præcipue facultates habet, generatiuam, qua simile producitur; augmentatiuam, qua res crescunt; & nutritiuã, qua nutriuntur. quarum facultatum operationes nõ conferunt proxime ad aliquid cognoscendũ, sed ad rem producendam, & conseruandam, ac proinde omittantur. Quæ hoc animę genere utuntur, uiuentia appellantur.

Animæ

Animæ ſenſitiuæ potentiæ, ſiue ſenſus, alii ſunt externi, alii interni; Externi ſunt quinque, aſpectus, cuius uis eſt in oculo, qui eſt organum videndi: obiectum vero quod percipit, ſunt res coloratæ, ſeu lucidę: Auditus, cuius organum eſt auris, obiectum omnes ſoni: Olfactus, cuius organum ſunt nares, obiectum, odores; Guſtatus, cuius organum eſt lingua, & obiectum ſapores; Tactus, cuius organum eſt caro, vel neruus; obiectū res affectæ calore, frigiditate, humiditate, & ſiccitate. His itaque potentiis percipit animal ſentiendo ea, quæ ſunt extra ſe, & per hos ſenſus, quaſi per portas, res ad animum ingrediuntur, ut nunc planius explicabo.

Ariſto. 2. de Ani.

Ad producendum aliquem ſentiendi actum, verbi gratia uiſionem, tria ſunt neceſſaria, potentia uidendi in ſuo organo, ut in oculo uidēdi uis; obiectum quod percipiendum eſt, res colore affecta, & unio obiecti cum potentia, cum nulla fiat actio, niſi agens, & patiens ſint coniuncta.

Sed peteres, qui fieri poteſt, ut obiectum quod eſt ab oculo remotum, cum oculo uniatur? Hæc unio fit per quaſdam ſpecies, ſiue ſimilitudines rerum, quæ diffuſę per aerem ueniunt ad oculum, ſicuti radii ſolares manando a ſole ſe per omnes partes diffundunt. Oculus his ſimilitudinibus acceptis, & ab eis affectus, uidet. Quod autem iſtæ rerū ſpecies, & ſimilitudines quæ in noſtros ſenſus irrumpunt, admittendæ ſint, certiſſima experientia conſtat. Nam cum quis ſuam faciem uidere uult, ſpeculum ſibi proponit, in quo ut in re tranſparente, recipitur ſpēs, q̄ cū nō poſſit ultra ob impedimentum progredi, reſilit, non ſecus ac lumen facit, & in oculos reflectitur, qua recepta, homo ſeipſum uidet. Ad uidendum igitur opus eſt organo beneaffecto, obiecto, & ei9 ſpecie,

Libr. 3. & 7. Phyſ. Ariſt. lib. 2. de An.

cie,

cie, qua excepta, actus producitur uidendi. Et quod de oculo diximus, idem de auditu qui sonos, & de olfactu, qui odores percipit, deq; alijs sensibus intelligendum est. Hi itaque externi sensus, quasi ianuæ quædam, siue ianitores intromittunt rerum externarum species ad alios sensus internos; de quibus mox dicemus. Dicuntur illæ rerũ similitudines, & quasi imagines, species sensibiles, quia res sensibus subiectas referunt, & a sensibus percipiuntur.

Sensus interni tres communiter numerãtur: sensus communis, phantasia, memoria: quarum facultatum sedes sunt in tribus cerebri partibus, quod tres quasi cellulas habet, vnam in parte anteriore, aliam in media, tertiam in posteriore. sensus ergo communis est vis quædam animalis in prima cerebri parte situs, qui recipit, & percipit species omnium sensuum; ac proinde dicitur cõmunis; & perceptas species ad phantasiam transfert. Phantasia, siue imaginatiua per species a cõmuni sensu acceptas format idola rerum etiam absentium, apprehenditque res sub ratione boni, ac mali, earumque notiones format. Hæc itaque vis res apprehẽdit, & iudicat: & notitias speciesque rerum apprehensarum memoriæ commendat. Memoria est animalis sensus in tertia cerebri parte situs; quæ vim habet conseruandi eas notiones speciesque rerum sibi a phantasia commẽdatas, ac proinde thesaurus vocatur. Arist. lib. 2. de An. Arist. lib. de Mem.

Præter hos internos sensus in animali datur vis appetitiua, quæ diuiditur in concupiscẽtem, quæ versatur circa bonum sensibile sine difficultate propositum, & in irascentem, quæ bonum arduum spectat. Ex quibus variæ oriuntur sensus affectiones, amor, odiũ, spes, desperatio, & aliæ. Est etiam vis motiua, qua animal ab vno ad aliũ

locum

locum se confert. Atque de potentijs animæ sensitiuæ, quæ ad res cognoscendas sunt adiumento, hæc pro instituto satis: nunc de viribus animę intelligentis dicamus.

Hominis igitur propria forma est anima rationalis a Deo creata, & corpori infusa; quæ cũ non sit ex semine producta, est immaterialis, & incorruptibilis, cum non pēdeat a corpore, & cum sit forma perfectissima continet in se omniũ aliarum animarum vires; & ita homini tribuit vim vegetandi, & sentiendi, & intelligendi. Cuius potentiæ numerantur tres; voluntas, qua omne bonum appetit, & ita eius obiectum sunt omnes res vt bonæ: intellectus, quo cognoscit & sapit, cuius obiectum est omne ens, vt verum: & memoria, qua rerum præteritarum recordatur. sed alijs potentiis omissis, de intellectu dicamus, cuius operationes diriguntur a Logica.

Aristo. 2. de Ani.

Intellectus, vt cõmuniter docetur, duplex est: agens, & patiens: Intellectus agens, dicitur vis intellectiua, quæ suo quodã naturali lumine ex phantasmatibus formatis a phãtasia, nouas producit rerum species immateriales quæ repræsentant res vniuersas, sine conditionibus singularibus: quæ species recipiuntur in eadem intelligēdi vi, quæ ob id quod recipit, dicitur intellectus patiens, & possibilis, prout potest species recipere, resque ipsas intelligere, & intelligendo fieri quodammodo omnia. Et hic est alter intellectus qui dicitur patiens, & possibilis, quia potest recipere species intelligibiles, & eas recipiendo actũ intelligendi producere. Nec debes existimare duos esse intellectus distinctos, est enim unus & idem, qui ob duas diuersas operationes duas sortitus est appellationes. Cur autem ponatur intellectus agẽs, qui nouas species producat, hæc redditur

Aristo. 3. de Ani.

3. de Ani.


ditur caussa, quia phantasma, & idolum repræsentatum intellectui a phantasia est materiale, & ita non potest mouere intellectum, qui est immaterialis, ac proinde nouis speciebus immaterialib⁹, quas intelligibiles vocant, opus est: quibus res vniuersæ, & sine materia repræsententur.

Intellectus possibilis, siue passiuus, si vnam recipiat rei simplicem speciem, vnā producit operationem, quæ dicitur simplex apprehensio, simpliciumve cognitio: nō quod solum simplicia apprehendat, cum etiam composita, & plura simul concipiat, sed quia vnum cum alio non componit. Si duas species, siue duas res inter se componat, & per assensum, vnam alteri tribuat; vt, si cū homine coniungat animal, producit secundam operationem, quæ dicitur cōpositio, si affirmet: diuisio, si neget; vt homo est animal, homo non est lapis. Si vero ex vna notitia iam habita per secundam operationem, aliquid aliud colligat, tertiam producit operationē, quæ dicitur discursus, siue deductio vnius ex alio; vt homo est animal: igitur est sentiens. Tres igitur sunt intellectus operationes, apprehensio, compositio, discursus: quas Logica dirigit, dum modum recte apprehendēdi, cōponendi, & discurrendi docet: quarum operationum naturā planius alio loco explicabo.

Atque ex dictis colligere licet, qua nam ratione res quæ sunt extra nos ad nostram intelligentiam veniant, aut quo modo intellectus rerum cognitionem acquirat. Primo itaque res ipsæ emittunt sui similitudines ad sensus externos, vt res colorata suam speciem ad oculum: oculus transmittit ad sensum communem: hic ad phantasiam, quæ format earum etiam absentium idola & phantasmata: intellectus agens ex phantasmate species intelligibiles producit: hæ recipiū- Lib. 6.

tur in intellectu possibili, sicut species sensibiles in oculo; recipiendo apprehendit, postea apprehensa componit, & vnũ de alio affirmat, aut negat: ex affirmatis aliquid discurrendo de nouo cõcludit, vnde nouæ gignuntur notitiæ per varios actus, quibus frequentatis varii acquiruntur diuersarum rerum habitus, & scientiæ.

De officio, instrumentisque Logicæ. Cap. V.



Aristo. in polit.

Rtes quæ nihil aliud sunt, quam habitus recte cognoscendi, aut efficiẽdi aliquid, in eum finem excogitatę fuere, vt operationes quas a natura imperfecte exercemus perfecte exerceamus, suos habent fines, suam materiam; officium suum, & instrumenta, quibus finem cõsequuntur. quæ sit Logicæ materia, qui finis, iam explicuimus; sequitur, vt de officio instrumentisque dicamus.

Lib. 1. de inu.

Officium in quacũque arte, vt ex Tullio colligimus, est quod artifex ad finem consequendũ præstare debet, & quoniam Logici finis est dirigere operationes intellectus, ideo eius officium erit tradere præcepta, siue instrumẽta quibus intellectus operationes recte dirigantur.

1. Meta. tex. 48. 2. Poster. tex. 5. Plat. in Phed. Cic. 1. de fin.

Sunt autem ista instrumẽta numero quinque, Definitio, Diuisio, Propositio, Argumentatio, & Methodus. Definitio est oratio, qua alicuius rei clare manifestatur natura, vt animal rationale; quę oratio hominis naturam manifestat: quo instrumento prima dirigitur intellectus operatio. Diuisio est oratio qua totum in suas partes secatur, vt, animal, aliud rationale, aliud irrationale:

hominis alia pars corpus, alia animus: quæ priuatim secundæ inseruit operationi, cum etiam alias iuuare possit. Propositio est oratio in qua vnum affirmatur, aut negatur de alio, vt homo est risiuus, qua secunda dirigitur operatio. Argumentatio, est oratio in qua vnum ex alio consequi denotatur, vt sol ortus est, ergo dies est, quæ tertiam dirigit operationẽ. Methodus est alicuius rei tractandæ congrua dispositio, quæ in omnibus operationibus dirigendis est necessaria; ac proinde, antequam ad ipsas operationes dirigendas accedamus, quod sequentibus libris nobis faciendum est, de ea, tanquam de communi instrumento, aliquid dicemus, si prius de Logicæ vtilitate, necessitate, diuisioneque breuiter egerimus. Porph. in Proœm.

De vtilitate, & necessitate Logicæ.
Cap. VI.



D demonstrandam vtilitatem necessitatemque Logicæ, ea tantum sufficere posset ratio, qua aliquãdo Epictetus philosophus grauissimus vsus est. Is igitur cum a suis discipulis rogaretur, vt Logicæ vtilitatem necessitatemque eis demõstraret, vultis, inquit, vt rationibus ostendam? rationibus responderunt: Rursus ille, rationibus veris, an falsis? probabilibusve, an euidentibus? Et veris & euidẽtibus, inquiunt: tunc magister quanam ratione cognoscere poteritis, an rationes quas afferam, sint veræ & euidentes, ni prius Logicam didiceritis? cum eius munus sit docere, quo pacto, verum a falso liceat discernere, cui responsioni illi acquieuerunt. En igitur, vt sine Logica cognosci nõ potest, an Logica sit necessaria. Arian. Plat. 7. de rep. Augus. 3. cont. Acad.

Quod vero ad vtilitatem attinet, Logica mirũ in modum sopita ingenia excitat, obtusa exacuit, & quasi rubigine detracta, perpolit & illustrat; scientiarum viam facilem, breuem, expeditamque reddit; in quibus obscura manifestat, confusa distinguit; & quæ dubia sunt, aut ut uera cõfirmat, aut vt falsa refellit; deniq; valet in sermonibus, prodest in negociis, dominatur in disputationibus, in foro, in senatu, in scholis. Quæ vtilitates etiam necessitatem ostendunt. Nam, cum nihil prorsus scire possimus, nisi per rectum certumq; vsum trium operationum intellectus, profecto, si aliæ scientiæ sunt nobis necessariæ, ea quoque necessaria erit, quæ ad recte sciendum instrumẽta tradit necessaria; Deinde, vt ad habendã scientiam requiritur res ipsa, cognoscenda, ita & modus quo cognoscenda est, quem qui tenet, is tandem solus scire putatur, atqui hic modus traditur in Logica, necessaria igitur. Ita tamẽ vtilis & necessaria existimanda est, ut in ea perdiscenda nõ nimium ponendum sit temporis, ut aliquãdo ad ea deueniatur, quorum caussa Logica expetitur.

Ioann. i Top. Arist. Arist. lib. 1. Top. c. 2.

Gel. lib. 16. c. 8.

De Logicæ diuisione partibusque. *Cap. VII.*



Quamuis Logica multis modis diuidi soleat, nos tamen hoc loco una, vel altera diuisione erimus cõtẽti. Primum igitur, Logica iuxta operationes quas dirigit, commode in tres diuiditur partes, in quarum primã, prima dirigitur operatio, quæ apud Aristot. in libro categoriarum continetur: In secunda, secundã, in libris de Interpretatione: In tertia, tertia in cæte-

ris

tis libris. Et quoniam in syllogismo de quo agitur in tertia parte, duo considerantur, forma & materia, quæ est triplex, necessaria, probabilis, & sophistica: de forma agitur in duobus primis analyticis libris: de Syllogismo necessario, in duobus reliquis analyticis: de probabili in libris octo Topicis: de sophistico, in duobus Elenchorum. Ex qua diuisione apparet numerus, & ordo librorum Logicę Aristot. quamuis libri Topici potius Dialectici, quam Logici sint. Est enim Dialectica, si proprie loqui velimus, alia facultas longe diuersa a Logica: quam noua, sed satis impropria diuisione, quidam in docentem, & vtentem diuidunt: Docens est illa quæ præcepta tradit, operationesque intellectus docendo dirigit: vtēs est eadem ad vsum in alijs sciētijs applicata. sed hęc de diuisione satis.

De methodo, quid & quotuplex sit, & quæ eius vtilitates. Cap. VIII.



Voniā igitur, vt supra diximus, Methodus est quoddam sciendi instrumentum, cuius vsus ad omnes intellectus operationes dirigendas confert, ideo de ea hoc loco antequam ad alia instrumenta explicāda in sequentibus libris accedo, aliquid scribendum putaui.

Methodus est vox Græca, Latine idem valet, quod breuis, & compendiaria via: translate, significat rationem, modumque facilem, quo aliqua ordinate traditur scientia: quamuis interdū pro ipsis artibus, & scientijs sumatur. Via autem qua in aliqua re inuestiganda vti possumus, du- 1. Physic. tex. 1.

 plex

plex est: altera, qua ipsa natura in rebus efficiendis vtitur; dum a principijs ad ea progreditur q̃ ex principijs constant, a partibus ad totum, & a caussis ad effecta; & hæc via appellatur ordo naturæ. Altera, quam nos in rebus cognoscendis adhibemus, dum a nobis notis ad ea quæ nobis sunt ignota progredimur; vt à caussis ad effectus, & a toto ad partes, & principia, & a sensibilib9 ad ea quæ sola intelligentia percipiuntur: & hęc via appellatur ordo doctrinæ, quem in docendo seruare solemus: quam etiam seruamus, dũ ea prius docemus, quorum notitia ad posteriora est necessaria. Ex quibus quid sit methodus facile intelligi potest.

Est ergo methodus, eorum quæ in aliqua disciplina tractantur dispositio, secundum prius & posterius, prout conuenit naturæ rerum, vel captui, & affectui audientium. Dicitur, dispositio, quia in quodam ordine & collocatione cõsistit: secundum quam aliquid prius posteriusve ponitur, aut dicitur: & quia iste ordo attẽditur penes res ipsas quæ tractantur, vel penes eos qui docẽtur, aut audiunt; ideo dicitur, Pro vt conuenit captui, vel affectui, audientium.

Est autem methodus triplex; prima quæ dicitur compositiua, qua fere artes vtuntur, cum a minimis partibus, & primis principiis ad maiores partes, & ad totum fit progressus; vt, cum Grammaticus a literis ad syllabas, ad dictiones, & orationem progreditur. Secunda quæ dicitur diuisiua, cum prius totum ruditer explicatur, & deinde per partes maiores, ad minores vsque ad prima principia venitur; vt si quis agendo de animali, illud prius vniuerse exponeret, & postea eius partes, & principia tractaret: quam methodum appellares etiam resolutiuam. Huic affinis

est me-

est methodus definitiua, cum aliquid prius definitur, & postea singulæ definitionis partes explicantur; in quarum explicatione, tota rei de qua agitur natura exponitur. Tertia, resolutiua, cum proposito fine rei de qua agimus, primum ipsum finem explicamus, postea de ijs rebus agimus, quæ ad ipsum consequendum sunt necessariæ, vt in Ethicis fecit Aristoteles.

Quando itaque aliquis cum methodo, idest ordinate scribere volet, videat quæ methodus sit ad rem, & personas magis accommodata: &, ni quid obstet, semper a notioribus, & communioribus incipiat: diuisione vtatur, quæ maxime methodum illustrat, modo non sit nimis longa atq; perplexa: dicenda proponat, & per epilogum colligat, & colligendo quæ restant indicet. Methodus facile, breuiterque docet, memoriam iuuat; obscuraque illustrat. Sed de methodo, & de hoc libro satis: in quo breuiter ea de natura Logicæ diximus, quæ fusius accuratiusque alibi disputāda sunt: quę is facile intelliget, qui hęc pauca intellexerit. 1. Physic. tex. 2.

Libri Primi Finis.

INTRODVCTIONIS IN LOGICAM,

LIBER SECVNDVS.

In quo ijs de rebus agitur, quæ ad primam intellectus operationem dirigendam pertinent.

De huius libri subiecta materia & ordine. Cap. I.



Logicæ natura caussisque expositis, sequitur vt ad eius materiã in qua versatur tractandum trãsitum faciamus. Est autem eius subiecta materia omne id, quod ad tres operationes intellectus recte dirigendas facit: quare tribus distinctis libris ea explicabo, quæ ad recte apprehendendum, componendum, arguendumq; cognitu sunt necessaria.

Et, vt a prima operatione qua, vt dixi, res simplices concipimus, apprehẽdimusve, aggrediar, illud primo loco adnotauerim, duo esse huius operationis vitia, confusionem & obscuritatem, quæ per Logicam corrigenda sunt: illud tollitur per rectam rerum apprehensionem, hoc vero p definitionem: atque in his duobus vitiis tollendis, hic secũdus versabitur liber. Et quamuis Logica per se versetur circa operationes ĩtellectus eas dirigendo: tamen, quia hoc per sermonem effice-

efficere debet; ideo, Logici solent priore loco ea explicare nomina, quibus res Logicæ significantur; cum hæc facultas multas habeat peculiares voces, siue terminos obscuros communi vsu nō vsurpatos.

Priore itaque loco quasdam nominum, siue, vt Logici loquuntur, terminorum diuisiones magis vtiles afferam: Deinde de terminorū affectionibus, siue accidentibus agam: postea de quinque vocibus prædicabilibus; præterea de decem categoriis, siue prædicamentis: postremo de definitione, quæ est primæ operationis dirigendæ instrumentum. Ex quarum rerum explicatione ea cognoscentur, quæ ad apprehensionē recte exercendam cognoscere est necesse.

Quid & quotuplex sit terminus vniuerse sumptus. Cap. II.



Erminorum explicatio, ideo primū est in Logica necessaria, vt eorum intellecta significatione, res ipsę recte percipiantur, & prima dirigatur mentis operatio: deinde, vt ex eorum notitia secūdæ operationi præparetur materia; cum ex conceptuum siue terminorum simplicium coniunctione secunda exerceatur operatio. Quo fit, vt sicuti prima intellectus operatio in se considerata, dicitur apprehensio, cōceptio, notioque rei, ita ad secundam ordinata vocatur terminus; quia propositionem duobus cōceptionibus comprehensam terminat. Dictiones ergo, siue notitię simplices per metaphoram termini vocantur, translatione ab agrorū limitibus sumpta, quod terminent contineantq; propositionē. Aristo. in Elenc.

Arist. lib. 1. poster. cap. 1.

Ideo Logici terminum definiendo dicunt, esse extremum in quod resoluitur propositio, tãquã in subiectum & prædicatum; vt in hac propositione, Homo est animal, quę est quoddam totũ, siue compositum, cuius partes, & extrema sunt, Homo, animal. Dicitur itaque terminus extremum ob allatam rationem, quia rei alicuius terminos, extremitates vocamus. Dicitur, in quæ resoluitur, quia si quis propositionem q̃ est quid compositũ resoluere velit, resoluet in terminos: non in quoscunque, sed in illos, quorum vnus est subiectum, id nimirum de quo aliquid dicitur, alter vero prædicatum, id videlicet, quod dicitur, siue prædicatur: nam aliæ dictiones, quę in propositione ponuntur, nõ sunt termini; vt si dicas, omnis homo est animal, est, & omnis, non sunt termini. Quod nos terminum appellatione valde vsitata vocamus, alii nomen, alii vocem, alii aliter vocant; sed hæc appellatio, cum sit clarior retinenda est. Explicata itaque termini nõtatione, definitioneque, ad diuisionem accedamus.

Prima termini diuisio fit hęc, Terminus est duplex, vnus simplex, siue incomplexus, & est ille cuius partes per se nihil significant; vt homo, animal: dixi, Per se, quia accidit quod aliquando aliquid significent; vt in hoc termino, Armamentum, arma, & mentum: quia non idẽ significant istæ partes coniunctæ, quod separatæ: Alter complexus, cuius partes per se aliquid significant; vt, animal album, vir bonus.

Ex Arist. li. 1. Prio. cap. 1.

Secunda diuisio, sumpta ex subiecto in quo reperitur terminus, ex triplici nimirum propositionum statu: nam alia propositio est mentalis, alia vocalis, alia scripta, vnde terminorum alius mẽtalis, vt ille in quem resoluitur propositio mentalis, alius vocalis, alius scriptus.

Tertia,

Tertia, quoniam cum vox auditur, aut in scriptura legitur, necessario in mente aliquis gignitur conceptus, hinc oritur alia diuisio, siue subdiuisio termini mentalis: nam alius dicitur, nō Vltimatus, aptius Medius diceretur, cum solam vocem aut scripturam percipimus re significata nō intellecta; quem terminum habēt ignari linguarum; vt si quis audiret hanc vocem hebraicam, Gadol, vel hanc græcā, Megas, & hebraice, græceq; ignoraret: Alius Vltimatus, siue Vltimus, cum non solum vox, sed etiam res significata pcipitur: in hunc enim finem nomina rebus imponuntur.

Quarta, Mētalis rursus duplex, alius directus, conceptus videlicet, & notitia prima qua percipitur aliquid: alius reflexus, quo cognoscimus nos aliquid cognoscere, vel quo intelligimus, aliquid alicui attribuere; vt, cum cognosco me cognoscere quid homo significet, vel me aliqd homini affirmando attribuisse. Atque hæ posteriores diuisiones pertinent ad terminum mētalem, de quo etsi præcipue Logicus agere debeat, cum terminus vocalis vim habeat a mentali, & oratio demonstratiua, quæ est potissimum Logicæ instrumentum, non in oratione externa, sed in mente consistat: tamē, quia termini vocales sunt notiores, & ad tradendam Logicæ doctrinam necessarii, ideo hos priuatim Logici explicare solent; id quod nos deinceps faciemus. Relicto itaque termino mentali, & scripto, vocalis subdiuiditur in significatiuum, & non significatiuum: quid autem vterque sit, sequenti capite explicabitur. 1. Poster. cap. 8.

De termino vocali significatiuo, & de vniuoco, analogo, & æquiuoco. Cap. III.


Ntequam terminum vocalem diuido, primum quid sit significare explicandum est: vt autem id intelligatur, prius dicendum est quid sit signum.

Aug. libr. 1. de prin. dialect.

Signum est id, quod se, & aliquid aliud sensui animove ostendit; ut fumus, qui se, & ignẽ ostẽdit, & suspiria, quæ se & mentis affectum patefaciunt. Est autem signum duplex, alterum naturale, quod suapte natura aliquid significat; vt fumus, & risus: alterum ex instituto, quod ex uolũtate significat; ut sonus campanæ: uel etiam ex consuetudine, ut rerum uenalium signa. Vtrunque reperitur, in rebus & in uocibus: naturale in rebus; fumus: in uocibus, suspiria: uoluntarium in rebus, sonus tubæ; in uocibus, uoces quibus loquimur. Rursus, signum aliud formale, qualis est species rei in potentiis consignata, quibus res significata percipitur: quo fit, ut conceptus mentis rerũ similitudines uocentur: aliud instrumentale, cuiusmodi sunt uoces, & ea quæ potẽtiis cognoscentibus aliquid repræsentant. Significare autem nihil aliud est, quam potentiæ cognoscẽti aliquid repræsentare: quo fit, ut quidquid repræsentat, aliquid significet, sitque eius signum. His ita positis ad terminorum uocalium diuisiones uenio.

Lib. 1. Periher. c. 1.

Prima, terminus uocalis duplex est, significatiuus, & non significatiuus. Significatiuus hunc in modum describi solet, est uox significatiua ad placitum ex qua simplex cõponitur propositio.

Dici-

Dicitur uox significatiua, ad excludendos termi nos vocales non significatiuos; & quia est signũ quoddam, vt patet ex dictis. Dicitur ad placitũ, vt excludantur voces quæ naturaliter aliquid significant. Dicitur, ex qua simplex, &c. vt ostendatur terminorum vsus, & finis; qui est vt in pro positione adhibeantur; vt ex eorum definitione constat. Non significatiuus est ille, qui nihil signi ficat, vt Blictri; Baf. qui tamen in propositione adhiberi possunt, in qua non stant pro aliqua re significata, sed pro seipsis; vt si dicas, Blictri est so nus, est vox, est disyllabum; sed subintelligitur, Hæc vox, hic sonus; non secus ac si diceres (ostẽ so Aristotele) hic homo est philosophus: vbi, nõ Arist. sed hic homo esset dictæ enunciationis subiectum.


Secunda diuisio, terminus vocalis significatiuus, alius vniuocus, alius æquiuocus, alius analogus. Vniuocus est vox, quæ significat vnũ, vel multa, quæ in eadem ratione, siue natura conue niunt; vt homo respectu singulorum hominum: equus, respectu omnium equorum; & animal re spectu animalium: quæ omnia significantur vno nomine, vt in vna natura conueniunt. Aequiuo cus, est vox quæ significat plura, vt habent plures naturas diuersas, sine vllo ordine ad vnum; vt ca nis, de terrestri, de aquatili, hoc est de pisce quodam, qui canis nominatur, & de cœlesti, idest de astro, quod canis nuncupatur: Taurus, de animali, mõte, astro, radice quadam, & de quodam phi losopho. Analogus est vox quæ significat multa sub diuersa ratione, cum aliquo tamẽ ordine vnius ad aliud; vt sanum, de animali, de potione, & vrina, sanum, primo significat animal sanum, & quia potio est caussa sanitatis, & vrina signum, ideo per ordinem quem habẽt ad sanitatem animalis,

Arist. c. 1. pdicam.

malis, potio & vrina ſana dicuntur. Id, quod primo tali voce ſignificatur, dicitur primum analogatum; reliqua ſecunda analogata. Analoga interdum vocantur æquiuoca a conſilio; vt homo de viuo & picto, ob differentiam terminorum pure æquiuocorum, qui uocantur æquiuoca a caſu & fortuna; ut Petrus de pluribus Petris.

Circa hos terminos hæc animaduertẽda ſunt: Primum vnum & eundem terminum poſſe eſſe vniuocum, analogum, & æquiuocum reſpectu diuerſorum; vt, gallus de gallinaceo vniuoce; de eodem, & de picto, analogice; de his, & de homine in Gallia nato, æquiuoce: Deinde, æquiuocũ & analogum poſſe fieri vniuoca, ſi ad unum ſignificatũ referant, aut reſtringantur; ut canis ad animal latrabile. Preterea, analogum ſimpliciter prolatum, ſtat pro ſuo primo ſignificato; ut, ſanum, pro animali, Pater, pro Deo: ens, pro ſubſtantia. Poſtremo, plura ſunt nomina analoga, quam vniuoca, cum iam ex uſu omnia fere facta ſint analoga, reſpectu omnium ſuorum ſignificatorum.

Afferuntur aliæ quattuor terminorum diuiſiones. Cap. IIII.



Vrſus terminus vocalis a principio varijs modis diuidi poteſt. Primo, terminorum, alius categorematicus, alius ſyncategorematic⁹, alius miſtus. Vbi nota, hæc vox, categorema, a Græcis philoſophis uſurpata, latine, idẽ ualet, quod ſignificatio, & categorematicus, idẽ quod ſignificatiuus, & ſyncategorematicus; cõ, uel ſimul ſignificatiuus. Cicer.

Termi-

Terminus ergo categorematicus eſt uox quæ per ſe aliquid ſignificat; ut, animal, bos, cœlum. Syncategorematicus, ſiue conſignificatiuus, eſt uox quæ per ſe nihil ſignificat, ſed alteri addita facit aliter ſignificare; ut, omnis, nullus, quidã, non. Miſtus, eſt uox quæ non rem, ſed rei modũ ſignificat; ut ſunt aduerbia, fortiter, iuſte, prudenter, ubique, nullibi; qui aliquid aliquo modo ſignificant; ut nullibi, ideſt nullo loco, docte, ideſt cum doctrina. Sed quoniam propoſitio in hos terminos, ſicuti nec in ſyncategorematicos non reſoluitur, tanquam in ſubiectum & prædicatũ; ideo non ſunt proprie termini. Cic. Tuſ. 4.

Secundo, terminus, alius primæ intentionis, ſiue impoſitionis, alius ſecundæ intentionis. Primæ intentionis terminus, eſt uox ſiue nomen, quod primo impoſitum fuit ad ſignificandas res ipſas, quæ dicuntur primæ intentiones, quia intellectus primo in eas tendit; ut, homo, Deus, animal, quaſi nomina rebus primo impoſita, quæ illis conueniunt, ut ſunt a parte rei, ſecluſa omni operatione intellectus. Terminus ſecũdæ intentionis, eſt nomen impoſitum ad ſignificanda nomina rebus primo impoſita, quaſi ſecundæ impoſitionis uoces, uel quia imponuntur rebus, nõ ut ſunt in ſe, ſed ut circa illas operatur, & in eas ſecundario tendit intellectus, hoc pacto, homo & grammatice dicitur ſubſtantiuum, & appellatiuum: amare dicitur uerbum, & homo nomen: &, ut circa illum uerſamur per intellectum, logice dicitur ſpecies, ſubiectum, prædicatum, & uniuerſale.

Tertio, rurſus terminus, alius finitus, uox uidelicet ea, quæ determinatam habet ſignificationem; vt animal, ſubſtantia: alius infinitus, vox nimirum quæ nihil determinate ſignificat, ſed omnia

nia indeterminate; negat tamen aliquid determinate; vt non homo, non pater, non videns: qui termini, & negatiui dicuntur: verum negatiui, si dicant priuationē in subiecto apto, nō erunt negatiui, seu infiniti, sed priuatiui; vt cęcum, tenebrosum: si vero in quocūque subiecto, tunc erūt negatiui, vt non videns, de lapide: quod nominū genus dicitur & de ijs quæ sunt, & de iis quę non sunt; vt non homo, de lapide, & chimęra. Nomina vero, quæ nec priuationem, nec negationem dicunt, positiua, quod aliquid ponant dicuntur. Vnde aliam colligeres terminorū diuisionem, quod alii sint negatiui; vt cęcum, non vidēs, alii positiui, ut homo, animal.


Arist. lib. 1. periher.

Quarto, terminorū, alius abstractus, alius concretus, alius absolutus, alius connotatiuus, & alius denominatiuus. Abstractus est vox quæ rem simplici modo significat, rem nimirum seorsim consideratam a subiecto; vt caliditas, sanctitas: humanitas. Concretus, qui rem modo composito significat, coniunctam cum re, in qua est; vt calidum, sanctum. Absolutus, qui significat rē quasi per se existentem, quamuis in se non existat; vt nigredo, color, iustitia: Connotatiuus, qui significat rem alteri inhærentem, vel adiacentem, vel qui significat rem connotando, idest simul significando subiectum cui inest: qui duplex est, alter q significat rē, siue formam, & quasi formam, quæ vere adiacet; ut candidum, vestitum, cæcum nō videns; alter qui significat rem per modum adiacentis, quæ vere non adiacet; vt corporeus, homo; illa nomina extrinseca, hæc intrinseca vocantur, ac ideo hæc non sunt proprie connotatiua: sunt tamen concreta: ac proinde latius patet concretum, quam connotatiuum: cōtra vero latius patet absolutum, quam abstractus. Vnde cōnota-

D. Tho. opusc. 48. c. 2.

notatiua aliud significant, nimirum formam, & de alio dicuntur, nimirum de subiecto: exempli gratia, candidum significat candorem, dicitur tamen de cygno, vt de re cãdida. Denominatiuus, est terminus connotatiuus, ab aliquo priore, voce ac significatione deductus, vel qui a primitiua seu principali voce deflexus eandem rem significat: vt sanctum a sanctitate, prudens a prudẽtia. Quare illi termini qui ab alio non deducuntur, vt pugil, cursor, & similes non sunt denominatiui, cum non detur vox abstracta a qua denominentur. Arist. c. I. p̃dicam. 2. Top. 2.

Afferuntur tres aliæ terminorum diuisiones, ex quantitate significationis sumptæ. Cap. V.



SI terminorum significationem maiorem, aut minorem spectemus, aliæ suboriuntur eorum diuisiones. Prima, terminorum, alius cõmunis, siue vniuersalis, alius singularis: vniuersalis est vox quę plura seorsim & vniuoce significat: dicitur seorsim, siue diuisim, vt distinguatur a vocibus quæ plura collectiue significant; vt, turba, gens: dicitur vniuoce, vt excludantur analoga, quæ nõn sunt proprie vniuersalia. Singularis cuius significatio nõ potest a pluribus vniuoce participari, vt Petrus, Roma.

Secunda terminorum, alius transcendens, & alius non transcendens: Terminus transcendẽs est vox communis quæ omnibus rebus veris, & existentibus applicari potest; vt sunt isti, res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum; designati literis huius fictæ vocis, Reubau: Non transcendens est

vox

vox quæ aliquod ens determinati generis significat, ut animal, virtus. Assignātur a quibusdam aliæ voces transcendentes, quæ etiam rebus non existentibus tribuuntur, vt opinabile, cogitabile, apprehensibile.

Tertia, quæ est subdiuisio singularis, qui diuiditur in determinatum, collectiuum, vagum, & ex suppositione. Determinatus est vox, quæ rem aliquam determinate significat; vt, Socrates, Plato, hic homo. Collectiuus est vox, quæ plura in vnum collecta significat; vt Populus, ciuitas, gens. Vagus est vox, quæ vnum indeterminate significat; vt quidam homo, quoddam animal, aliqua virtus. Ex suppositione, est vox quæ vnum tantum significat; cum tamen ex se plura significare possit; quæ, suppositione facta, vnum significat; vt Petri filius, posito Petrum vnicum habere filium. Atque has terminorum per se considératorum diuisiones attulisse sufficiat: neq; enim omnes quæ fieri possent, afferre est necesse; quia id sine vtilitate, non tamen sine confusione fieret. Alij igitur termini huius facultatis proprij, vel a Philosophis vsurpati suis explicabuntur in locis.

Afferuntur aliæ terminorum inter se comparatorum diuisiones. Cap. VI.



Voniam vero termini non solum p se, sed etiam comparate cōsiderari possunt; ideo sub hac consideratione nōnullæ eorum fieri diuisiones solent.

Primum igitur termini inter se cōsiderati, vel sunt pertinentes, vel impertinentes: Impertinētes

tes illi dicuntur quorum nulla est vtilitas, siue vsus; vt sunt illi quorum vnus non infert alium, nec alteri repugnat; vt fortis, & pictor, agricola, & tibicen: orator, & Gallus. Pertinentes vero, qui inter se inferunt, vt homo & animal: vel inter se repugnant; vt album & nigrum: nam quod est album, non est nigrum. Vnde pertinétes subdiuiduntur in pertinentes sequela, & pertinentes repugnantia.

Pertinentes sequela sunt illi, qui in bona consequentia se inferũt: quorum tres sunt ordines. Primus eorum qui se habent, vt inferior & superior, vt homo & animal, iustitia & virtus, vbi valet argumentum ab inferiori ad superiorem, nõ contra; vt est homo, ergo est animal: est iustitia, igitur virtus: ualet tamen negatiue, non est animal; igitur nec homo. Vnde quidquid affirmatur uel negatur uniuerse de superiori, ut de animali, affirmabitur etiam de homine: & quidquid dicitur uel negatur de homine, siue de inferiori, dicetur etiam, vel negabitur de superiori, particulariter tamen sumpto, vt si de homine dicitur esse risiuum, & non esse brutum, dicetur etiam de animali; & si de animali dicitur viuens, & negatur lapis, itidem de homine. Secundus conuertibilium, vt sunt illi qui ita se habét, vt ab vno ad alterum argumentari liceat, affirmando, & negando; vt homo, & risiuus: canis, & latrabilis. Tertius eorum, qui dicuntur synonymi, vt sunt illi qui idem prorsus significant; vt vestis, indumentum: facies vultus. In his duobus generibus duo sunt argumentandi modi. Primus, de quo affirmatur, vel negatur vnus terminus, item & alter; vt si de Petro dicitur homo, dicetur etiam risiuus: si de ligno negatur homo, etiam risiuum, & contra. Secundus, quod dicitur vel negatur de

Vno, dicitur vel negatur de alio; vt de homine dicitur animal, etiam de risiuo: de homine negatur lapis, etiam de risiuo; & contra, si de risiuo negetur, etiam de homine.

Pertinentes repugnantia sunt illi qui inter se opponuntur, vel significant res inter se oppositas, quarum una non potest esse cum alia: quorũ hi sunt ordines. Primus eorum qui dicuntur cõtrarij, qui significant res contrarias, quæ se ab eodem expellunt subiecto; vt calidum & frigidum, candidum & atrum. Secũdus priuantium, quorum unus dicit habitum siue formam, alter eiusdem absentiam, in subiecto apto; ut lux, & tenebræ: uidens & cœcum. Tertius relatiuorum; ut pater filius, uxor maritus, maius minus. Quartus contradicentium, quorum unus dicit negationem alterius; ut homo, non homo, amat non amat. Postremus disparatorum; qui significant res diuersas; ut sal, aqua: lapis lignum. In his argumentamur ab affirmatione unius ad negationem alterius, non autem a negatione; ut est cœcus, ergo non est uidens: sed non diceres, non est album, ergo est nigrum.

Denique termini inter se collati, diuiduntur in subijcibiles & prædicabiles: subiicibiles dicũtur illi, qui semper fere in propositione subiiciũtur, ut singulares, & inferiores respectu superiorum: prædicabiles uero qui in propositione semper fere prædicantur; ut sunt termini uniuersales: qui maxime inseruiunt scientiæ, ac proinde diligenter cognoscendi sunt.

De terminorum accidentibus, siue affectionibus. Cap. VII.

POst allatas terminorum diuisiones, ut eorũ uis, & significatio longe melius teneatur, de non-

nonnullis eorum accidentibus agendum est: inter cætera autem terminorũ accidentia hæc tria sunt præcipua, quantitas, qualitas, & significationis variatio, siue suppositio; de quibus breuiter pro nostro instituto nunc dicturi sumus.

Quantitas nihil aliud est, quam extensio termini ad plura vel pauciora significanda. Exempli gratia, hic terminus, homo ex se indeterminate significat homines, qui potest extẽdi ad omnes significandos, si addatur terminus syncategorematicus, omnis: potest etiam significare vnum tantum, si addatur, aliquis. Quantitas itaque terminorum ex signorum syncategorematicorum appositione innotescit: vt sunt signa vniuersalia, omnis, nullus: particularia, aliquis, aliquis non: & singularia, vt hic homo; vnde alij termini sũt vniuersales, vt omnis homo; alii particulares, vt aliquis homo: alij singulares, vt hic homo: alii indefiniti, vt homo.

Qualitas terminorum nihil aliud est, quam affectio quædam, quæ ex signorum affirmatiuorũ, vel negatiuorum appositione oritur: vnde alij sunt affirmatiui, vt illi, quibus apponuntur signa affirmatiua; omnis, aliquis: alij negatiui, vt illi quibus adduntur signa negatiua, nullus, aliquis non; vt omnis homo, nullus homo, aliquis homo, aliquis homo non.

Suppositio vero est acceptio, siue vsus nominis generaliter accepti pro re quam quocunque modo significat; vt cum dico Philosophus, pro Arist. cœlum, pro natura cœlesti. Vnde nomina supponi nihil aliud est, quam suffici, & substitui loco rei significatæ. Ex quibus colligeres, nos nõ debere dicere, nomina supponere, sed supponi, cum in disputatione pro rebus ipsis ponantur: posset tamen dici, Nomen hoc supponit rem, id- Libr. 1. Elen. c. 1.

est substituit. Rursus colligeres, non esse verum, terminos solum supponere in propositione, seu enunciatione; cum vbicunque pro re significata supponantur, etiam in oratione non enunciatiua, modo aliqua exprimatur sententia; vt in optatiua, interrogatiua, & alijs. Denique colligeres, errare eos qui dicunt, terminum qui supponit in ꝓpositione debere verificari de re significata mediante copula suæ propositionis, vnde colligunt subiecta in his propositionibus, Adamus est, Antichristus est, Chimera est, non supponere, quod est falsum: quia istæ propositiones non ob aliam caussam sunt falsæ, nisi quia supponunt. Et quoniam suppositio mutatur pro signorum varietate, antequam ad species suppositionis explicandas accedo, quasdam signorum diuisiones attingam.

Signorum alia sunt nomina, vt omnis, nullus; alia aduerbia, vt semper, nullibi: item alia syncategorematica, vt, omnis, &, nō: alia mista, vt nemo, semper: item, alia affirmatiua, vt omnis, alia negatiua, vt nullus: item, alia vniuersalia, vt omnis semper, alia particularia, vt quidam, aliquando, vel. Inter mista vniuersalia ponuntur aduerbia numeralia bis, ter, & nomina, duo, tria. Rursus sunt quædam signa quæ dicuntur media, quæ partim vniuersalia, partim singularia sunt; vt alter, neuter, vterque, & omne, pro speciebus singulorum, quæ resoluuntur, per &, quę vniuersalitas dicitur, & per Vel, quæ particularitas nominatur, vt alio dicetur loco.

Quotuplex sit suppositio, siue de speciebus suppositionis. Cap. VIII.

SVppositio, quam diximus esse termini vsum, duplex est; una formalis, vt est illa, in qua terminus

minus supponitur pro re significata; ut cum homo sumitur pro natura humana; altera materialis, quæ est usus uocis pro se ipsa.

Est ergo suppositio materialis illa qua terminus significat seipsum, seu uocem; ut, homo est uox, homo, dicitur supponere materialiter, quia seipsum, seu vocem ipsam significat: quæ suppositio reperitur in uocibus etiã non significatiuis.

Relicta materiali, formalis duplex est: altera propria quæ est usus, siue acceptio termini proprie significãtis; ut homo est animal: ubi, homo, sumitur proprie: quia significat rem ad quam significandam primo est impositus: Altera impropria, quæ est usus termini pro re quã improprie significat; ut, homo est bene pictus: homo hic sumitur improprie, pro imagine: cuius uaria sunt genera pro uarietate significationis impropriæ, de quibus Grammatici uideant. Nos libr. 1. de Eloquut.

Suppositio formalis propria duplex; altera cõmunis, quæ est acceptio termini communis pro suo, vel suis significatis; ut, homo est species nobilissima animalium: omnis homo est mendax: altera singularis, siue discreta; acceptio nimirum termini pro una re tantum singulari; ut, Socrates fuit hominum sapientissimus: hic homo currit; filius Ioannis studet, posito, unicum habere filium. Communis rursus triplex, simplex, personalis, absoluta. Simplex, quæ est acceptio termini communis pro suo immediato significato; ut homo est species. Personalis quę est usus termini pro suis mediatis significatis; ut aliquis leo rugit, aliquod animal currit: quoddam animal est species infima, & indiuiduum, in quibus propositionibus termini sumuntur pro mediatis significatis. Absoluta, quæ est acceptio termini pro suo immediato significato, non præcisa

tamen; ut homo eſt animal, quæ eſt ueluti media inter ſimplicem & perſonalem, quę ſunt inter ſe contrariæ.

Rurſus, ſuppoſitio duplex, una naturalis, quæ eſt acceptio termini cõmunis pro omnibus ſuis ſignificatis, inferioribus; ut omnis homo eſt animal, ubi homo ſupponit pro omnibus qui fuerunt, ſunt, & erunt: altera accidentaria, quæ eſt acceptio termini communis non pro omnibus ſuis ſignificatis, ut omnis homo diſputat; ubi, homo ſupponitur pro ijs qui ſunt: omnis homo literatus ſtudet.

Rurſus ſuppoſitio eſt quadruplex: prima determinata, in qua terminus ſignificat unum ſine diſtinctione: uel q̃ reſoluitur, deſcẽſu diſiunctiuo, cum particula uel diſiunctiue accepta: ut aliquis homo currit, ideſt, hic homo currit, uel ille currit, uel alius currit, & ſic de cæteris. Secunda diſtributiua, quę eſt uſus termini pro omnibus ĩferioribus ſimul, & ſeorſim ſumptis, uel quæ reſoluitur deſcenſu diſtributiuo cum particula Et, copulatiue accepta, ut omnis homo currit, ideſt, & hic homo currit, & iſte currit, & ſic de alijs.

Tertia copulata, quæ eſt uſus termini pro pluribus collectim ſumptis, uel quæ reſoluitur deſcenſu per particulam Et, collectim ſumptam, ut diſcipuli ſunt duodecim, id eſt, iſti, & iſti, & reliqui ſimul ſunt duodecim. Quarta confuſa, q̃, eſt vſus termini aliquid vnum indiſtincte ſignificantis, vel quæ reſoluitur deſcenſu per particulam, Vel, diſiunctim acceptam: vt ad equitandũ requiritur equus: Venetijs venditur piper; ideſt, aut hoc piper, aut illud, aut aliud venditur: vnde non fit reſolutio diſiunctiue, vt prædicatum determinate cadat in vnum, cum omnes particulares ſint falſæ.

Sed

Sed peteres, in quo confusa; & determinata suppositio differant: Respondeo differre in hoc, quod licet vtraque significet vnum; tamen determinata ita significat vnum, vt multis possit applicari, sed non omnibus; vt cum dicitur, aliquis homo currit, quia vnus currit, non omnes: at cõfusa ita de omnibus dicitur, vt de omnibus confuse possit dici, cum vnum confuse significet. Explicantur itaque istæ suppositiones per descensus diuersos, vt innuimus.

Descensus autem nihil aliud est, quam explicatio suppositionis alicuius termini pro multis rebus acceptis per ea omnia pro quibus actu supponit; vt patet in exemplis allatis: qui quadruplex est, pro quattuor suppositionum allatarum varietate; Copulatiuus, qui fit per particulã Et, copulatiue acceptam, quæ propositiones iungit: Copulatus qui fit per eandem particulam copulatim acceptam, quæ non propositiones, sed partes vnius propositionis iungit, idest prædicatum cum subiecto; vt duodecim cum omnibus discipulis simul. disiunctiuus, qui fit per particulam, Vel, disiũctiue acceptam, nectentem propositiones: disiunctus, qui fit eadem particula disiũctim accepta, quæ non propositiones, sed partes propositionis nectit.

Rursus distributiua duplex: altera quæ dicitur distributiua pro singulis generum, idest pro indiuiduis singularum specierum, quę resoluitur descensu copulatiuo, vt omne animal moritur, idest omnium specierum, hoc indiuiduum morit; & hoc, & hoc, & sic de alijs: altera pro generibus singulorum, idest pro omnibus speciebus indiuiduorum; vt, omne animal fuit in arca Noe, idest ex omnibus speciebus hoc, vel illud indiuiduũ: in prima enumerantur omnia indiuidua, descẽ-

ſu copulatiuo: in hac vero deſcenſu diſiunctο.

Rurſus diſtributiua duplex; altera ſimpliciter diſtribuit, & nullam patitur exceptionem; vt, omnis homo eſt riſiuus, omne animal eſt mortale: altera exceptiua, in qua aliquid excipitur: quam aliqui Accommodam vocant; vt omne animal fuit in arca Noe, excipiēda ſunt quæ in aqua viuunt, & quæ non ex ſua procreantur ſpecie, quia iſta non fuerunt in arca. Quod tegit omnia cęlum, ideſt quæ tegi poſſunt: omnia ſubiecit ſub pedibus eius, ideſt præter eum qui ſubiecit omnia. Vt autem quæ de ſuppoſitione diximus melius intelligantur, ſunt hic nonnullæ regulæ animaduertendæ.

Prima, nomen quod mediate attingitur a virtute alicuius ſigni, ſupponit confuſe; quod vero immediate, ſtat diſtributiue; vt, omnis homo eſt animal, omnis diſtribuit homo, cōfundit animal, vt ſit ſenſus, hic, & hic, & iſte homo, eſt hoc, vel illud animal. At ſignum negatiuum diſtribuit, & ſubiectum, & prædicatum; vt nullus homo eſt lapis, ideſt nec iſte, nec iſte homo, eſt hic, nec ille, nec alius lapis. Verum ſignum poſitū in vna ſimplici propoſitione, non attingit terminos alterius, ſi una fiat hypothetica; vt, omnis homo eſt propenſus ad malum, & tamen aliquis homo eſt probus: ſignum, Omnis, non attingit, ſubiectum poſterioris enunciationis. Similiter quādo ſignū eſt pars vnius extremi, non attingit, alterum extremum; vt, quidam homo habens omnem ſciētiam, eſt malus; vbi ſignum, Omnem, non afficit ſubiectum, vel prædicatum, cū ſit pars vnius extremi, ideſt ſubiecti.


Ex his colligeres, prædicata in his propoſitionibus, Petrus & Paulus eſt Apoſtolus, Patauij & Bononiæ inſtituitur iuuentus, accipi confuſe, ſi.

Et,

Et,sit vice signi vniuersalis, vt ponatur pro, vterq;. Similiter dictiones quę reguntur ex verbis determinatis,per aduerbia numeralia, solum confuse accipiuntur; vt in hac bis cantaui missam : ter pronūciaui verbum,quæ explicantur per descensum disiunctim. hoc modo,Bis cantaui hanc missam, aut illam,aut illam missam.

Secunda regula,omne verbum personaliter acceptum,quod sequitur verba,necessitatem significantia, vt Requiritur, necesse est,debeo, uel actum animi,vt polliceor,desidero & similia, faciunt supponere confuse id cui applicantur ; vt Promitto tibi librū:debeo tibi pecuniam, ad scribendum requiritur calamus.

De suppositionis affectionibus. Cap. IX.



Vppositionis affectiones numerantur tres,Status, Ampliatio, Restrictio. Status est cum terminus ea significat quæ existūt tempore significato per verbum , siue copulam , principalem, quæ cum termino iungitur ; vt sedens est disputans , vel qui sedit disputat, vel sedens,qui stetit, disputat ; vbi termini supponunt pro præsentibus solis , iuxta tempus designatum in copula principali.

Est autem status triplex iuxta tres temporum differentias,præsentis, præteriti, & futuri. Status præsens est, cum terminus significat res existentes tempore præsenti;vt qui studet,sedet. Status præteritus est cum terminus significat rēs q̄ exstiterunt tempore præterito ; vt , qui mortuus est, vixit.Status futurus est,cum terminus significat

ficat res quæ existét tempore futuro; vt qui post nos viuent, multa videbunt noua. Si itaque verbum non restringatur, nec amplietur, nec distrahatur, habet suum statum principalis copulæ.

Ampliatio est, cum terminus non solum significat res existétes tempore designato per verbũ, sed etiam aliquo alio tempore; vt, sedens surrexit, vbi sedens, designat eum qui tempore præterito sedebat, & eum qui nũc sedet: Est enim sensus illius propositionis, qui sedet, aut sedebat surrexit. Ampliatio quadruplex est: vel ad præsentia & præterita, vt patet in allato exemplo: vel ad pſens, & futurum; vt in hac, viuens morietur, id est qui viuit, aut viuet: vel ad tria tempora; vt in hac, Natus morietur, idest qui natus est, aut nascitur, aut nascetur, mortem obibit; vel etiam ad tempus possibile; addunt aliqui etiam, ad tempus imaginariũ, sed nihil fuit necesse, vt alij adnotarunt; vt in hac, Homo est risiuus, idest qui fuit, est, erit, vel esse potest, est risiuus.

Tonſ. Vnde ampliatio duobus modis fit, primo respectu temporum tantum, in terminis singularibus; vt Petrus negauit Christum, idest, Petrus q̃ est, vel fuit: altero respectu temporum, & subiectorum, quomodo ampliantur termini communes; vt homines morietur, quæ propositio est vera de omnibus qui sunt, & erunt: addunt alij respectu temporum & formarum, vt album fuit nigrum. hoc est, quod habet, vel habuit albedinem fuit nigrum.

Restrictio est, cum terminus qui potest multa significare, ex additione alicuius vocis, pauciora significat; vt, homines iusti Deum timent; terminus, homines, restringitur per adiectiuum Iusti, Fit autem restrictio quinque modis: primo adiectione nominis adiectiui, vt in allato patet exẽplo;

plo: ſecundo per additionem nominis ſubſtantiui in recto; vt, animal homo: tertio per additionem eiuſdem nominis ſubſtantiui in obliquo; vt liber Ariſtotelis, doctę ſcriptus: quarto per additionem eiuſdem nominis cum præpoſitione; vt ſtans in cubiculo legit: poſtremo per additionem alicuius propoſitionis; vt qui bene viuunt, bene moriuntur: qui ſequitur Chriſtum non ambulat in tenebris.

Sunt autem reſtrictionis ſpecies tres: Alienatio, Diminutio, Appellatio: Alienatio eſt, cũ terminus non ſignificat quod proprie ſolet ſignificare, ſed per additionem alicuius vocis ſignificationem habet impropriam; vt equus æneus eſt in platea; vbi, dictio, æneus, traducit dictionem, equus, ad ſignificationem impropriam.

Diminutio fit, cum ex additione alicuius vocis terminus non habet totam ſuam ſignificationem; vt Aethyops eſt albus ſecundum dentes; particula, ſecundum dentes, minuit, & facit dictum, vt loquuntur, ſecundum quid, ſinę qua, dictum eſt ſimplex, vt homo albus.

Appellatio eſt qua vnus terminus alterũ denominat: vel eſt denominatio qua vna dictio aliam denominat; vt, Chriſtus eſt bonus paſtor; vbi bonus, dicitur appellare terminum. Paſtor: Bonus, dicitur appellans, vel denominans, Paſtor appellatus. Nomine itaq; appellationis meliores Dialectici intelligunt denominationem quę fit ab aliquo nomine adiectiuo, vel a termino qui ſe habet, vt adiectiuus, ſicut terminus appellatꝰ eſt terminus ſubſtantiuus, vel quaſi ſubſtantiuus; vt in hoc patet exẽplo, Franciſcus eſt egregie doctus; vbi aduerbium, Egregie, eſt veluti adiectiuũ, & doctus, quaſi ſubſtantiuum. Vnde patet primum diſcrimen inter terminũ appellantem, & appel-

latum;

latum: quia appellans est adiectiuum, appellatus substantiuum. Rursus appellans semper sumitur formaliter, at appellatus interdum etiam materialiter; vt, iste monachus est albus, albus appellat hominem, non monachum: hic philosophus est bonus, Bonus, hominem materialiter appellat; non hominem, vt est philosophia præditus. Quare duplex est appellatio: vna materialis, altera formalis. Rursus, alia est qua appellatur ens reale, quæ dicitur appellatio realis; vt homo est animal sagax: alia qua appellatur ens rationis, cũ dictio appellans significat ens rationis; vt homo est species; vbi, Species, licet sit nomen substantiuum; tamen vt denominat, est connotatiuum. Circa appellationem notandæ sunt hæ regulæ.

Prima, nomen adiectiuum, vel quasi adiectiuum, quod dicitur de termino habente materiale significatum, illud appellat; vt hic logicus est bon⁹: at si significaret ens rationis, appellaret formale modo nihil obstet; vt homo est species, homo prædicatur de pluribus: vbi nota, pro materiali significato sumi etiam mediata significata. Dixi, modo nihil obstet, quia ista appellatio potest impediri; vt si dicas, hic homo est species: omne animal est genus, in quibus appellatur mediatum significatum.

Secunda, nomen adiectiuum, aut quasi adiectiuum additum ante substãtiuum in eodem extremo, appellat formale significatum illi⁹; vt, homo est doctus philosophus: at si substantiuũ post adiectiuum ponatur, sępe adiectiuum appellabit, materiale. Vnde nõ est idem dicere, Christus est factus homo, & Christus est homo factus.

Tertia regula, termini significantes actum animæ, appetendi, & cognoscendi appellant formale rerum in quas feruntur; vt cognosco venientem,

2. Elenc. 4.

tem, id est hominem vt venientem, non vt talis homo est: Desidero dulce, idest, vt tale est, non materiale in quo dulcedo est. Idem dicas de quibusdam verbis applicantibus suam significationē terminis connotatiuis; vt facio calceum, idest induco formam calcei in corium.

Qui & quot sint termini prædicabiles. *Cap. X.*

EOs terminos hactenus explicuimus qui sunt apud Logicos valde ī vsu, quorum notitia tyronibus est maxime necessaria: variasque eorūdem affectiones, ex quibus eorum significatio dependet. Nunc vlterius progredientes eos terminos resque explanabimus, ex quarum cognitione proxime prima intellectus operatio dirigitur, dum qua ratione quæcunque res apprehendenda sit docetur; vt est notitia quinque vocum prædicabilium, ac decem naturarum, quæ prædicamenta vocantur: ex qua doctrina intelligetur, qui nam sint termini prædicabiles, & subijcibiles, quorum cognitio ad secundam intellectus operationem recte dirigendam refertur.

Prædicabilia igit, siue voces vniuersales sunt numero quinque, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: quibus continentur omnia ea quæ in aliqua natura perfecta reperiri possunt Nam quidquid prædicatur, vel est quid essentiale, vel accidentale: si primum, vel est tota rei natura, & hęc dicitur species. vt homo: vel est pars essentiæ communis cum alijs, & hoc est genus; vt in homine, animal, viuens: vel est pars essentialis, qua intrinsece differt ab alijs, & hęc est diffe-


differentia; vt rationale: Si accidentale, vel est accidens, quod fluit ab essentia rei, & cũ re ipsa conuertitur, & hoc est proprium, vt in homine risiuum, vel non fluit a natura, & sic est accidens cõmune, vt in homine esse album. Quinque igitur sunt vniuersalia, siue prædicabilia.

Aristot. Lib. 1. Periherm. Est autem vniuersale id quod est, aptum esse ĩ multis, vel prædicari de multis, vt, homo qui est in multis, & de multis dicitur indiuiduis; animal in multis, & de multis speciebus. Vniuersali opponitur singulare, quod non potest esse in pluribus, nec dici de pluribus; vt Petrus, & hic homo.

Vniuersalia seu prædicabilia multis modis prędicantur: Vel in quæstione quid est, vt omnia illa per quæ respondemus ad quæstionem petentem quid aliquid sit: quo modo prædicantur genera & species; vt quid est Petrus? est homo: q̃d est homo? est animal: quid est iustitia? est virtus. Vel in quæstione, Quale est, vt sunt ea per quę respondemus ad quæstionem, quale aliquid sit, quo modo alia tria prædicabilia prædicantur; vt quale animal est homo? rationale: qualis est homo? risiuus, albus. Rursus, aliqua prædicantur essentialiter, vt illa quæ sunt de essentia subiecti; quo modo genus, & differentia prædicantur de specie; vt animal, & rationale de homine, & species de indiuiduo. Quo fit vt differentia prædicari possit in quale quid: in quale ratione generis, quod qualificat: in quid ratione speciei quam constituit. Aliqua accidentaliter; vt illa quæ nõ pertinent ad essentiam; vt, de homine esse rectũ, de cygno esse candidum. Denique, alia necessario, vt illa, quæ ita affirmantur de subiecto, vt de eo negari non possint: alia contingenter, vt quæ affirmari & negari possunt, vt candidum de homine, & de cygno.

Ex-

Explicantur quinque voces prædicabiles, genus, species, differentia, proprium, & accidens. Cap. XI.



Enus, quæ vox aliquando designat genealogiam alicuius familiæ, aut gentis, aliquando principium familiæ, vel gentis, aliquãdo id sub quo collocatur species, quo modo nũc sumitur, sic describi solet. Porph. c. de gener.

Genus est id quod de pluribus specie differentibus in quid vniuoce prædicatur. Dicitur prædicari de pluribus, quia est quoddam vniuersale: vnde distinguitur ab indiuiduo: dicitur, de pluribus specie, ut distinguatur a specie, quæ de pluribus numero differentibus proxime prædicatur: dicitur, in quid, ut distinguatur ab alijs tribus p̃dicabilibus, quæ dicuntur in quale, & vt indicetur esse prædicatum essentiale: dicitur, vniuoce, ad excludenda analoga, quæ nõ sunt proprie genera: genus enim aliquando sumitur pro quacũque re vniuersali, & communi. Est autem genus duplex, summũ supra quod nullum aliud est genus, & subalternum, quod est sub alio genere, & cum sit genus potest esse species: addũt aliqui, infimũ, & est illud, quod sub se ultimam speciem continet.

Species est id quod prædicatur de pluribus numero differentibus in quid: uniuersale nimirum quoddam, quod tantum de ijs quæ solo numero differunt, in quæstione quid est, prædicatur. Cur dicatur prædicari de pluribus in quid, patet ex ijs quæ diximus in declaratione definitionis generis: dicitur numero differẽtibus, ut distinguatur a genere. Ea autem dicũtur numero differre, quę nume- Porph. c. de spec.

numerando ut distincta sumuntur; ut Petrus, & Paulus, homo, & equus: nō autem homo & animal; quia qui dicit hominem dicit animal. Ea uero solo numero differunt, quę & indiuidua sunt, & sub suo genere nullo vniuersali discrimine differunt, vt Petrus & Paulus sub animali: sub alio tamen genere differre possunt; vt quod vnus sit candidus, alter niger.

Aristo. in antepr. c. 2. Indiuiduum vero de quo facta est mentio, est id quod in alia diuidi non potest; & ideo non dicitur de alio, sed de se ipso solo; cuius omnes notæ seu proprietates simul sumptæ non reperiuntur in alio.

Species duplex est, una quæ media & subalterna, hoc est, alteri subiecta dicitur; vt est illa quæ respectu superioris dicitur quidem species, sed respectu inferioris est genus: altera infima, seu vltima, quæ solum est species, & proxime respicit indiuidua, quam specialissimam vocant. Vt autem generis & speciei diuisiones innotescant, subijcio diuisionem vnius summæ naturæ, quæ dicitur substantia.

Substantia.
Corporea. Incorporea.
Corpus
Viuens. Non viuens.
Viuens
Sentiens. Non sentiens.
Animal
Rationale. Irrationale.
Homo
Petrus.

In hac serie, Substantia, est genus generalissimum, quia est summum, & supra se nullum habet

bet genus: reliqua omnia vſque ad hominē, dicuntur genera ſubalterna.i.ſubiecta, reſpectu inferiorum: ſed animal dicitur etiam genus infimum, quia ſub ſe habet tantum ſpeciem. Homo eſt ſpecies infima, quia non habet ſub ſe aliā ſpeciem: corpus, viuens; & animal, ſpecies ſubalternę, reſpectu ſuperiorum, quę ſunt genera. Petrus eſt indiuiduum: quia, cum nihil habeat ſub ſe, diuidi non poteſt.

Differētia eſt ea forma, ſeu id qua res vna differt ab alia, aut a ſeipſa. Vnde alia eſt communis quæ ſeparari poteſt a re, vt ſedere, in homine: alia propria, quæ eſt inſeparabilis, non tamen eſt de eſſentia rei, vt eſſe ſimum in naſo, riſiuum in homine: alia maxime propria, quæ & ſpecifica dicitur, cum per eam ſpecies intrinſece differant, vt rationale in homine. Quare differentia vltimo modo ſumpta, eſt id quo ſpècies inter ſe intime differunt; quibus verbis nominis vis exprimitur. Quæ duplex eſt, altera infima, ſeu vltima, & ſpecialis, qua differunt ſpecies vltimæ, vt rationale in homine: altera media, ſiue generalis, qua differunt ſpecies mediæ, vt ſenſibile reſpectu viuētis. Vltima, vt eſt quoddam prædicabile ſic definitur, Differentia eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quale quid, vel hoc modo, quæ prædicatur de vna tantum ſpecie in quale, eſſentialę. Media hoc pacto, eſt quæ prędicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid. Dicitur in vtraque definitione, in quale quid, vt diſtinguatur a genere, & ſpecie, quæ ſolū prædicantur in, Quid. Nec tamen me prętęrit, in differentiæ definitione poſſe omitti particulā illam, Quid, ſi quis Græcorum phraſim animaduertat, qua in definienda differentia vtuntur.

Ex quibus colligeres, differentiam prædicari

de

de omni eo de quo prædicatur id, cuius est differentia, vt rationale de homine, & de indiuiduis hominis. Præter generalem, & specialem differentiam, assignant aliqui etiam indiuidualē; quæ nihil aliud est quam priuata nota, hæcceitatem vocant, qua vnum indiuiduū differt ab alio. Differentiæ duo tribuuntur munera, diuidere genus; constituere speciem; addunt alij tertium, distinguere vnam speciem ab alia.

Proprium, quattuor modis sumitur: primo pro eo quod conuenit alicui soli rei, sed non omni; vt homini esse grammaticum: secūdo, quod omni, sed non soli; vt homini esse bipedem: tertio quod omni, soli, sed non semper, vt homini canescere: quarto, quod omni, soli, & semper conuenit; vt homini esse risiuum: & hoc vere dicitur proprium, & cum eo cuius est proprium conuertitur; alia vero non ita: quod sic describitur, Proprium est id quod prædicatur de pluribus in quæstione quale est accidentaliter, & necessario: vt, aptum esse ad sentiendum, de animali, & ad ridendum de homine: vel hoc modo, est vniuersale quoddam quod accidentaliter & cōuersim de suo subiecto prædicatur.


Est autem proprium duplex: alterum generale, quod reciprocatur cum re quæ est genus; vt esse aptum ad sentiēdum cum animali: alterum speciale, quod cum specie, conuertitur; vt posse

Cic. ridere cum homine. Vnde non est admittendum proprium, quod singulis rebus conueniat: nisi nomine proprietatis intelligatur singularis nota, siue differentia indiuiduans, aut communium accidentium collectio.

Accidens est id quod potest adesse & abesse, subiecto non corrupto; vt sedere & non sedere, & esse bonum, & malum in hoīe: vel est id quod

prædicatur de pluribus in quæstione, quale est, contingenter, seu non conuertibiliter. Est autē duplex, alterū inseparabile re, vt albedo a niue: alterum separabile, vt esse iustum ab homine; at cogitatione omnia huius generis accidentia a subiecto separari possunt.

De prædicamentis vniuerse.
Cap. XII.



I genera & species de quibus superiori capite egimus, recto ordine, vt patet ī exemplo supra allato collocētur, fient categoriæ, siue prædicamenta, quorum cognitio maxime confert ad primam intellectus operationem dirigendam, cum ex hac doctrina intelligamus quo pacto vnaquęque natura apprehendenda sit.

Hæc autem tractatio in tres diuiditur partes, in antepraedicamenta, in prædicaméta, & in post prædicamenta. Antepraedicamétum est id cuius intelligentia proxime ad prædicamentorum cognitionem est necessaria, ac proinde ante ipsa p̄dicamenta est tradenda. Prædicamentum vero est ordinata quædam series generum, & specierum sub vno communi genere contentarum; vt in eodem exemplo patet: seu est alicuius summi generis realis, & eorum quæ sub ipso sunt, naturalis dispositio: Ex quibus colliges quænā sint ea quæ ponuntur in prædicamento.

Reponuntur ergo naturæ vniuocę, reales, cōpletæque in suo genere: hæ enim per se, & directe ponuntur in prædicamentis: quædam vero alia ponuntur reductiue, tanquam partes naturarum, vt materia & forma, vel tanquam differē-

Ioã. Mur. tiæ, & principia, modique rerum. Dixi naturas vniuocas; quia analoga excluduntur a serie prędicamentali, sicuti entia rationis. Ea quæ a prædicamento reijciuntur his versiculis quidā complexus est.

Complexum, consignificans, fictum, polysemum,

Vox Logicæ, Deus, excedens, priuatio, parsq;.

Hoc est complexa, concreta seu connotatiua, entia ficta, multiuoca, entia rationis Logica, nomina quæ infinitum transcendentia, quæ priuationem; & quæ partem significant. quid autē sit post prædicamentum postea dicetur.

Sed peteret quispiam cur excogitata fuerit doctrina, siue tractatio prædicamentorum? Respondeo, vt remouerentur impedimenta quædā quæ habemus in rerum cognitione, vt est rerum multitudo, confusio, & obscuritas: quæ omnia p hāc doctrinam sublata fuere, dum tanta rerum varietas ad decem capita reuocata fuit: dum res confusæ, & permistæ, certo ordine collocatæ fuerunt; vnde etiam earum obductæ & opertæ naturę innotescere possunt. Affert itaque hæc doctrina has vtilitates; confert ad definiendum, dum per eam cognoscimus genera & differētias: valet ad diuidendum, atque ad componendum, ad argumentandum, & denique ad omnia cum methodo tradenda: vt multas alias vtilitates missas faciam.

In antepraedicamentis primū explicantur tres termini, analoga, vniuoca, denominatiua; & diuisio terminorum complexorum, & incomplexorum, de quibus iam nos egimus.

Deinde quæ dicantur, vel non dicantur, sint, vel non sint in subiecto. Illud dicitur esse in subiecto, quod est in alio, non tanquam pars, & si-

ne eo esse non potest, vt sunt accidentia. Substantia singularis, & indiuidua nõ est in subiecto, nec dicitur de subiecto; vt Petrus: accidens singulare, est in subiecto, sed non dicitur de subiecto; vt hæc albedo: substantia vniuersalis, dicitur de subiecto, sed non est in subiecto; vt equus: accidẽs vniuersale est in subiecto & dicitur de subiecto, vt albedo, color.

Postea datur hæc regula de ijs quæ prædicantur, quando aliqua prędicantur de aliquo subiecto, quæcunque de prædicato dicũtur, etiam de subiecto affirmantur; vt si viuens dicitur de animali, etiam dicetur de homine, de quo dicitur animal.

Præterea ponitur hæc alia regula, diuersa genera quæ non sunt inter se subalternata, habent diuersas differentias; vt animal, & scientia, nam aliæ sunt animalis, aliæ scientiæ differentiæ: Quũ vero genera sunt subalterna easdem possunt habere differentias; quia superiora de inferioribus dicuntur.

Denique numerantur decem naturæ incomplexæ, substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, vbi, quando, situs, & habere: quas naturas, quidam hoc disticho complexus est,

Arbor sex seruos, feruore, refrigerat vstos: Ioã. Murmellij.
Duri cras stabo, nec tunicatus ero.

De quibus totidem quæsita, siue quæstiones fieri possunt; vt, quid res sit, quanta, sit, & sic de aliis.

De substantia quid, & quotuplex sit, & quæ eius proprietates. Cap. XIII.

QVamuis de hac categoria, sicuti & de aliis multa a multis, nõ tam Logice, quam Me-

taphysice disputentur: tamen nos, pro nostro instituto, de omnibus breuiter ruditerq; agemus; vt crassa quędam de eis habeatur notitia, tyronibus necessaria.

Substantia, sic dicta est a substando, quod substet accidentibus, vel a subsistendo, quod per se subsistat: quam hunc in modum describunt, substantia est ens reale per se existens; vt homo, & Angelus. Dicitur ens reale; vt excludantur entia non realia: quæ duæ voces in definitionibus aliorum prædicamẽtorũ, subintelligendæ sunt: dicitur, per se existens, quia hæc sola natura in nullo alio est, tanquam in subiecto, per quod ab aliis omnibus differt.

Aristot. c. de subst. Est autem substantia duplex; vna quæ dicitur prima, altera secunda: Substantia prima est illa q̃ non est in subiecto, nec dicitur de subiecto; vt Petrus; hic homo. Dicitur non esse in subiecto, quia nulla substantia est in subiecto; cum id sit accidẽtis propriũ: dicitur, nec prædicatur de subiecto, quia est singularis; singulare autem non prædicatur. Substantia secunda est illa quæ non est in subiecto, sed dicitur de subiecto; cuiusmodi sunt omnes species, & omnia genera substãtiæ; vt homo, & animal: quæ cum sint substantiæ non sunt in subiecto, sed cum sint vniuersalia dicuntur de subiecto: in quibus dicuntur esse primæ substantię, ut inferiora in suis superioribus, & partes in toto vniuersali. Quo fit, vt prima substantia sit omnium aliorum fundamentum, quo sublato, omnia tolluntur. Ex secundis vero substantiis magis species, quam genus dicitur substantia, cũ pluribus substet, & sit primę proximior: ex speciebus autem generibus, & indiuiduis, vnũ non est magis substantia, quam aliud.

Hæc natura his proprietatibus dignoscitur:

Prima,

Prima, non esse in subiecto, quæ patet ex dictis: secunda, vniuoce prędicari de suis inferioribus: tertia, significare hoc aliquid, idest vnum numero singulare per se subsistens: quarta, non habere contrarium, quia cum contraria sint in subiecto, substantię, quę est subiectum, nihil debet esse cõtrarium: quincta, non suscipere magis & minus, idest non intendi, nec remitti; cum rerum naturę sint semper eędem: postrema, quę est maxime propria, quod vna numero substantia possit contraria suscipere; vt lignum, calorem, & frigus. Quę sit huius prędicamenti series patet, ex capite de quinque vocibus.

De quantitate. Cap. XIIII.



Vātitas est ens reale in alio existēs, a quo res denominantur quantæ: vel est accidens per quod subiectū habet partes, siue extensionem: vt est superficies per quam tabula dicitur habere partes: neque enim eius substantia est per se extensa, vel partes habet, nisi per superficiem; nec tres homines, nisi per numerum ternarium, qui in ipsis cernitur.

Sunt autē quantitatis species subalternæ duæ: Continua, quæ habet partes vnitas, & communi termino copulatas; vt partes lineæ, communi puncto: partes superficiei, linea, & partes corporis superficie: & Discreta, cuius partes sunt diuisæ, & communi termino non copulantur; vt binarius, cuius partes nullo termino iūgūtur. Sub continua hæ ponuntur species: linea, quæ habet longitudinem sine latitudine: superficies quæ ē̃t latitudinē, & corpus, quod etiam profunditatē Aristo. c. de quant.

habet, tempus, & locus. Sub discreta vero hæ, numerus, & oratio: quoniam numerus componitur ex diuersis vnitatibus, & oratio ex diuersis dictionibus. An autem omnia dicta sint veræ species quantitatis, dubitari solet.

Rursus, quantum duplex, aliud cuius partes sunt permanentes, vt linea: aliud cuius partes nō consistūt, vt tempus, & oratio. Denique, alia est quantitas propria, vt illa quæ per se, & in se habet extensionem: alia impropria, per quam aliquid dicitur quantum per aliud, vt album, quod dicitur quantum ob subiectum quantum in quo est. Similiter, alia est quantitas molis, alia virtutis, secundum quam dicimus magnam esse vim Angeli.

Quantitati tres assignantur proprietates: prima, non habere contrarium: secunda, non suscipere magis & minus: non enim est magis quanti tas illa quæ multorum est palmorum, quam quę vnius palmi: tertia, quæ est ei maxime propria, vt per eam res dicantur ęquales, vel inæquales.

5. Metap. tex. 20.

De qualitate. *Cap.* *XV.*



Valitas est accidens a quo accidentaliter denominamur quales; vt a sanctitate sancti, a candore candidi. Dicitur accidens, ad differentiā substantiæ, dicitur accidentaliter denominare, vt distinguatur a differentia, a qua denominamur essentialiter: dicitur quales, vt ab alijs distinguatur accidentibus, a quibus aliter nominamur.

Huius categoriæ quattuor assignantur proximæ species. Prima in qua ponitur habitus & dispositio;

ſpoſitio; vt omnes ſcientiæ & virtutes, & earum initia. Habitus eſt firma quædam qualitas, qua rei natura bene, vel male in ſe afficitur: diſpoſitio, eſt eadem qualitas inchoata, quæ facile abiici poteſt; vt leuis ægritudo. Ariſto. c. de qualit.

Secunda, naturalis potentia & impotentia. Naturalis potentia eſt uis a natura inſita, qua res poteſt agere, vel alteri reſiſtere; vt ĩ homine vis motiua, vis ad currendum, & in adamante durities ad reſiſtendum. Naturalis vero impotentia eſt qualitas qua res aliqua ægre agit, aut reſiſtit; vt infirma valetudo in homine, in butyro mollitudo, & in intellectu imbecillitas.

Tertia, paſſibilis qualitas & paſſio: paſſibilis, ſiue patibilis qualitas eſt diu permanens qualitas, quæ aut ſenſum mouet, aut ex motu aliquo naſcitur; vt quattuor primæ qualitates, caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas: & quæ ex iſtarũ actione producuntur, vt omnes colores, & ſapores. Paſſibilis ergo qualitas eſt quæ aliquem ſenſum afficit, aut ex aliqua mutatione fit. Paſſio, vero eſt patibilis qualitas quæ ita eſt in ſubiecto, vt facile trãſeat; vt pallor ex metu natus, rubor ex verecundia; a qua ſubiectum non denominatur, niſi obcalleat; ſimiliter ira, gaudium, & alię huiuſmodi permotiones.

Quarta, continet formam & figuram: Forma vt hic ſumitur, eſt qualitas quæ oritur ex terminatione quantitatis in re aliqua naturali ſpectatæ, quæ ex lineamentis corporis naſcitur; vnde alia forma hominis, alia bouis, alia ſerpentis. Figura vero eſt eadem qualitas, ſiue diſpoſitio partium quantitatis in ſe conſideratæ, non applicatæ ad rem aliquam naturalem; vt triangularis, quadrangularis, & aliæ.

Huic categoriæ tres aſſignantur proprietates:

prima, habere contrarium; nam virtuti vitium, caliditati frigiditas est contraria: secunda, suscipere magis & minus; vt esse magis & minus doctum: & vna albedo est magis intēsa, quam alia:
5. Metap. tex. 20. Tertia, quæ est maxime propria, vt secundum eā res dicātur similes, & dissimiles; res similes sunt illæ quarum qualitas est eadem, dissimiles quæ dissimili qualitate sunt affectæ.

De relatione. Cap. XVI.



Elatio designat naturam quæ tota est ad aliud, & ita nihil aliud est, quam respectus vnius rei ad aliam; vt paternitas, qua pater referrur ad filium: & similitudo, qua duo similia inter se referūntur.

Est autem relatio duplex; altera rationis, qua aliquid refertur ad aliud per solam rationē: quo modo, genus refertur ad speciem, & species ad genus, & prędicatum ad subiectum: altera realis, qua aliquid refertur ad aliud nemine cogitante; vt maius ad minus, æquale ad æquale. Sed quoniam hæc natura melius explicatur per concretum, quam per abstractum, ideo in concreto definiri solet, vt statim dicetur.

Omissis relatiuis secundū rationem, quę non veniunt in prædicamentum, Relata, seu ad aliqd realia, alia sunt quæ dicuntur ad aliud, quia explicantur per aliud, sed primo & per se dicunt aliqd absolutum connotando relationem; vt habitus, & scientia: nam scientia est qualitas, quæ tamen dicit ordinem ad rem scitam; & hæc vocātur relata secundum dici, id est quoad naturæ explicationem, nō quoad naturam ipsam: Alia sunt quæ

tota

tota sunt ad aliud; & ideo sunt, quia ad aliud sũt; & hæc proprie pertinent ad hanc categoriam; ut sunt ista maius, simile, pater, vendere, & similia, quæ sic definiuntur.

Relata sunt ea quorum hoc est esse, vt tota sint ad aliud; vt pater, & filius; dominus, & seruus: pater enim vt pater, totus est ad filium. Siue in abstracto, Relatio est natura qua aliquid, hoc ipso quod est, ad aliud se habet; vt æqualitas, dominatus, seruitus. Nam æquale, quatenus æquale, æqualitate refertur, & sic de alijs. Vt autẽ adhuc melius obscura relatiuorum explicetur natura, notãdum est, ad relationem constituendã quattuor esse necessaria; subiectum quod refertur, vt paries in relatione similitudinis ad aliũ parietẽ: fundamentum, id nimirum propter quod aliqd refertur, vt albedo in pariete: terminum ad quẽ refertur, siue correlatiuũ; vt alius paries albus: & ipsum ordinem, siue ipsum referri: qui ordo, in allato exemplo, est ipsa similitudo.


Arist. ca. de rel.

Relatorum duo sunt genera: alia æqualis comparationis, siue appellationis; æquiparantiæ vocant; vt æquale, simile, inæquale, dissimile: nam simile & simile æquali ratione referuntur: alia inæqualis comparationis, siue appellationis, disquiparantiæ nominant; vt dominus & seruus. Quorum duo sunt genera: alia maioris comparationis, quæ superpositionis vocantur, vt pater, dominus, præceptor, & quæ sunt digniora ijs ad quæ referuntur: alia minoris comparationis, quę maioribus respondent; vt, filius, seruus, discipulus, & reliqua minus digna.

Relationi tres assignantur proprietates: prima omnia relata dicuntur ad ea quæ conuertuntur, vt pater, ad filium, qui vicissim dicitur ad patrẽ: secũda relata sunt simul natura cum eo, ad quod

referũtur:ac proinde, vno ablato, aliud tollitur; vnde posito domino, ponitur seruus, & contra: tertia, vno relato cognito determinate, cognosci tur & aliud ad quod refertur, & contra; vt cognito maiore, necesse est, vt cognoscatur minus respectu cuius dicitur maius.

De actione & passione. Cap. XVII.



Ae duæ categoriæ, vt magnam affinitatem habent, reque idem sunt, ita conuenienter simul explicantur: & vt facilius eorum natura intelligatur, notandum est, in actione quattuor considerari posse; agens cum sua vi ad agendum: patiens cum aptitudine ad perpetiendum: motum, siue operationem quæ est ab agente in passum; & si est motus quo acquiritur aliqua forma, formam ipsam; vt in calefactione, est ignis cum sua caliditate qui agit; aqua quæ calefit; actio ignis in aquam, siue motus calefactionis: & caliditas quæ acquiritur introducitur in aquam.

Actio ergo est operatio seu perfectio prout proficiscitur ab agente; vt in exemplo allato, calefactio, vt ab igne emanat.

Passio vero est operatio motusve, vt a patiente suscipitur; vt calefactio, ab aqua suscepta; non ipsa caliditas quæ acquiritur, sed calefactionis susceptio. Sunt itaque actio & passio re idem motus, & eadem operatio; quæ, vt exit ab agente dicitur, actio, ut suscipitur a patiẽte vocatur passio.

Actionis & passionis duo sunt genera: nam aliæ sunt a corpore, vt calefacere, & calefieri: aliæ ab animo; vt intelligere, tristari: Item, aliæ necessariæ; vt nutrire & nutriri; aliæ liberæ; vt eli-

gere,

gere, & similes.

Actioni & passioni duæ assignantur proprietates: prima suscipere magis & minus: vna enim actio potest esse magis intensa, quam alia, vt calefactio ab igne, & ab halitu proueniens: idem de passione dicas. Secunda, habere contraria; calefactioni contraria est frigefactio, & calefieri, frigefieri. Cap. de act.

De cæteris categorijs, vbi, quando, situ, & habere. Cap. XVIII.



Bi est in loco, seu contineri loco, siue modus existēdi in loco. Nā quęrenti, vbi nam sit Princeps, respondemus, in ciuitate, in palatio. Est autem aliquid in loco, vel communi, vt Petrus in platea; vel proprio, vt aqua in vase. Huius categoriæ species sunt, supra, infra, ante, retro, ad dextram, ad sinistram. Cui duæ tribuūtur proprietates, non intendi & remitti, nec habere contrarium.

Quando, seu esse in tempore, est tempore contineri, seu modus existendi in tempore; vt fuisse anno superiori, esse in præsenti, in hora. Huius categoriæ species, vel differentiæ sunt illæ quas appellamus tempus, hodie, cras, præteritum, & aliæ proprietates, non habere contrarium, & nō suscipere magis & minus, & denominare ea quę sub ipso sunt.


Situs est ordo partiū locati ad partes loci; seu, est habere partes corporis certo modo affectas ad partes loci, vt stare, sedere, cubare; quæ appellantur positiones. Est autem positio duplex, altera naturalis; ut hominis habere caput superius, &

pedes

pedes inferius: altera non naturalis, vt si homo manibus nixus, ad cœlum vestigia verteret. Proprietates sunt non habere contrarium, non suscipere magis & minus.

Habere, est indumento aliquo indutum aut ornatum esse: siue, est adiacentia & denominatio q̃ oritur ex eo, quod vnum corpus adiacet alteri; vt, esse galeatum, penulatum, hastatũ, & ocreatum. Proprietates sunt eædem cum superiori categoria. Atque hæ sunt decem categoriæ quibus continentur omnia, quæ in hac rerum vniuersitate, vel in re reperiuntur: in quibus, tanquam in quodam penu res omnes suis in locis collocantur, ac proinde facile inueniuntur.

De postprædicamentis. *Cap. XIX.*



Ostprædicamentum est id cuius notitia requiritur ad prędicamentorũ cognitionem; & post prædicamenta collocatur. Itaque in postprædicamentis ponuntur ea de quibus facta est mentio in prædicamentis, modi nimirum quidam rerum, & quasi categoriarum appẽdices; sunt autem ista. Opposita, Prius, Simul, Motus, & habere.

Aristot. c. de oppos. Oppositorum quattuor sunt genera, Relata, Contraria, Priuantia, & Contradicentia. Relata sunt ea quæ oppositorum esse dicuntur; vt pater dicitur ad filium, & scientia ad scibile. Contraria sunt ea quæ inter se pugnant, & quę in eodem subiecto vicissim sunt, nisi alterum insit a natura; vt candor & nigror in aliquo corpore, vitium & virtus in animo. Quorum alia habent medium; vt candidum & atrum, inter quæ dantur alij colores

lores intermedij: alia non habent medium, vt sanitas & ęgritudo. Priuantia sunt ea, quorum vnũ dicit habitum, alterum destitutionem; vt videns & cœcum, lux & tenebræ. Est ergo priuatio negatio formæ in subiecto, apto eam habere suõ tẽpore; vnde catulus ante nonum diem nõ dicitur cęcus, nec lignum, quia hoc non habet aptitudinem ad videndum: dicitur tamen cęcum negatiue, quia caret aspectu. Contradicentia sunt ea, quorum vnum affirmat, alterum negat; vt, currit, non currit, est homo, nõ est homo: in quibus non datur medium. Prius dicitur aliquid his modis: Primo, tempore; vt dies præterita prior præsenti: Secundo, cum non conuertitur subsistendi consequentia, quo modo genus prius est, quam species, vt animal, quam homo: nam si quid est homo, est animal, sed non contra. Tertio ordine, quo modo literæ sunt priores syllabis: Quarto dignitate; vt id quod est honorabili⁹, eo quod est minus honorabile. Quincto natura, cum vnum est aliquo modo caussa alterius; quo pacto res sunt priores orationis veritate, cuius sunt caussa.

Aristo. c. de priore.

Simul dicitur aliquid, vel tempore, vel natura, cum conuertitur subsistendi consequentia, vt duplum & dimidium, & species quæ sub eodem genere inter se diuiduntur.

Aristot. c. de simul.

Motus, sex habet species, quæ sunt, Generatio & corruptio, quæ sunt circa substantiam: augmentatio & diminutio, circa quantitatem; alteratio, quæ fit in qualitatibus, vt calefactio & frigefactio: atque motus localis, qui est ad vbi.

Cap. de hab.

Habere dicit aliquid octo modis; habere qualitatem, quantitatem, habitum, partem, aliquid in parte, vt in vase, possidere, & habere vxorem.

Quorundam terminorum explicatio.
Cap. XX.


Xplicatis communibus omnium naturarum, ac modorũ terminis; Antequam vlterius in suscepto opere progredior, placet hoc loco quosdam alios terminos exponere, quorum recta intelligentia est omnino vtilis, sicuti eorundem maximus est vsus.

Primo, ens, tanquam participium a verbo substantiuo sum, significat id quod est; sicuti amans, significat id quod amat: aliquando designat entitatem, & vt ita dicam, realitatem, & idem valet, quod res. Cui contrarium est, non ens, quod tribus modis sumitur. Primo, dicitur non ens, id quod vere nihil est. Secundo, id quod dicit priuatione habitus, siue formæ, quæ in aliquo esse debet; vt cæcum, siue cæcitas, quæ dicit negatione aspectus. Tertio nõ ens, dicitur ens imperfectũ, quo modo accidens dicitur non ens, quia imperfecte existit. Rursus ens, vel dicitur id quod est in re, vt homo, & animal; & hoc dicitur ens reale; vel id quod solum existit per rationem; quod designat aliquam relationẽ & affectionem quæ adueniunt rebus, vt cognoscuntur & sunt in intellectu; vt homini esse speciem, esse inferius, & animali esse genus & superius; & hoc dicitur ens rationis. Rursus ens aliud quod dicitur substantia, & est id quod per se subsistit, quod dicitur Quid: aliud quod dicitur accidens, quod appellatur, quale. Ex his vocibus manarunt aliæ multũ frequentes, esse, essentia, & quiditas, quæ designant rei naturam: vnde esse hominis, græce τὸ εἶναι, pro natura hominis, & sic essentia, & quiditas.

Aristo. 1. Physic.

ditas. Quare cum dicitur aliquid esse de essentia, & de quiditate, alicuius, idem est, ac si diceretur de natura. Hinc etiam essentiale, & quiditatiuũ, id est, quod est intimum, & intrinsecũ alicui rei, vt est genus, & differentia alicuius rei; & materia ac forma. Ac etiam essentialiter, & quiditatiue, id est intime, & intrinsece, & secundum rei naturam.

Secundo, ista vox ratio, varie vsurpatur. Primo pro ipsomet intellectu, & potẽtia rationali, vt si dicatur, ratio hoc non capit. Secundo, pro ratiocinatione, siue discursu; vt, si dicas, hæc ratio non concludit, idest hæc argumentatio. Tertio, pro modo, methodoque tractandi, vt si dicas, in docendo hanc rationem, idest hunc modum, viamque seruabo. Quarto pro definitione; vt, cũ dicitur, hæc est hominis ratio, idest definitio. Quincto, pro rei natura; vt, hoc est de ratione animalis, idest de essentia, & natura.

Libr. 1. Post. c. 1.

Aristo. 2. Phys.

Tertio, accidens varijs modis accipitur. Primo pro illa re, quæ ita alicui conuenit, vt sine illius interitu, possit adesse, vel abesse, vt homini esse album: aquæ esse calidam. Secundo, pro eo quod est alicui rei proprium, quod est cum re coniunctum, sed non est ei intrinsecum, vt cani latrare, boui mugire. Tertio, pro eo quod nõ est de essentia alicuius, quamuis non sit vere accidens, vt esse rationale, animali; quia non est de ratione animalis, vt sit ratione praditum, sed hoc potius dicitur accidere, quam esse accidens, & ideo vocatur accidens verbale, quia explicatur per verbum accidit.

Porph. c. de accid.

Quarto, substantia, primo sumitur pro natura cuiuscunque rei, siue sit vere substantia, siue accidens, siue nihil: vt, animal rationale est substantia hominis: substantia lineæ, quod termine-

tur punctis:nihili substantia est,vt non possit intelligi. Secundo, dicitur substantia id quod non est in subiecto;vnde accidens nō poterit dici substantia,sicuti differētia,& genus. Tertia,id quod per se existit, & sic sola indiuidua dicuntur substantia non genera,vel species; quę solēt dici non substantia id est,non existere per se,sicuti indiuiduum,quod & suppositum,& persona dici solet. Hinc substantialia,id est rei intrinseca:& substātialiter,id est intime,& intrinsece.

Libr. 1. Physic. Quincto,materia primo sumitur p altera parte substantiæ,quæ recipit formam,cum qua facit compositum. Secundo pro eo ex quo aliquid fit, vt panis ex farina. Tertio pro eo in quod artifex introducit formam, vt lignum materia artis tignariæ. Postremo,pro eo in quo aliqua ars versatur, & tractat, quomodo materia Grammaticæ est oratio.

Lib. 2. de Anim. Sexto,forma, primo sumitur pro altera parte substantiæ quæ dicit perfectionem. Secundo,pro quocunque reali accidente, quæ dicitur forma accidentalis;vt candor, respectu corporis candidi. Libr. 2. Physic. Tertio,pro quacunque denominatione,etiā si sumatur ab eo quod non est; quo modo priuatio dicitur forma rei priuatę. Quarto,pro figura;vnde quadrata figura dicitur forma tabulæ. Quincto, interdum sumitur pro definitione,& rei natura essentiave. Hinc formalia dicuntur quę sunt de natura rei, & formaliter, hoc est secundum propriam rationem.

Septimo, subiectum, primo dicitur id de quo aliquid prædicatur, vt de homine, animal. Secūdo id in quo accidentia inhærent, vt est substantia. Tertio, id quod tractatur, & consideratur in aliqua scientia; quod dicitur subiectum considerationis, sicuti secundum, inhæsionis.

Octauo,

Octauo, genus primo ſumitur pro eo cui ſubſtant ſpecies. Secundo pro aliquo ſuperiore, & communiore, ſiue ſit vere genus, ſiue nō; vt ens. Tertio, pro eo quod in aliqua ſcientia tractatur, ſed ſolet addi, ſcibile. Quarto pro principio generationis, & genealogia.

Nono, totum, primo dicitur quodcunque ſuperius reſpectu inferiorum, quod dicitur totum vniuerſale. Secundo compoſitum ex materia, & forma, vel ex genere, & differentia, quod dicitur totum eſſentiale. Tertio compoſitum ex partibus quantis, quod dicitur totum integrale. Quarto, compoſitum ex ſubiecto, & accidente, quod dicitur, totum accidentale, vt homo albus.


Decimo, propoſitio, primo ſumitur more rhetorico, pro ea orationis parte qua dicenda proponuntur. Secundo, pro quauis enunciatione. Tertio pro præmiſſis in ſyllogiſmo; vnde, duę pręmiſſæ, id eſt duæ propoſitiones. Ariſtot. li. 1. Prio. cap. 1.

Vndecimo, ſimpliciter, primo idem valet quod abſolute, & vniuerſaliter, vt ſimpliciter dicam, id eſt vniuerſe. Secundo ſumitur pro totaliter, vt Italus eſt ſimpliciter albus, Aethyops vero non ſimpliciter. Tertio, pro eo quod eſt actu, & ita materia dicitur ſimpliciter ens; priuatio non ens. Quarto, pro vniuoce, & vno modo; vnde vox quæ plura ſignificat, dicitur non ſimpliciter dici, vt genus, quod multis modis ſumitur. Quincto, pro tantum; vt cum dicitur, animal eſt ſimpliciter ſenſitiuum, & ita deſignat quandam imperfectionem. 1. Phyſic. Porph. c. de gen. Porphyr. c. de diff.

Duodecimo, poſſibile, primo dicitur id quod poteſt eſſe, ſiue neceſſario, ſiue contingenter, & ita omnia creata dicūtur poſſibilia. Secūdo quod eſt cōtingens, & opponitur neceſſario, & hoc eſt triplex: vel vt plurimum, vt hominem eſſe albū:

vel raro, vt eundem esse bicipitem, vel indifferēter, & ad vtrumlibet, vt eundem stare, vel sedere.

De definitione. *Cap. XXI.*



Efinitio duplici de caussa ad primā operationem intellectus dirigendam pertinere videtur. Primū quidem, quia est terminus quidam cōplexus, vt, Animal rationale; nam si cum subiecto, per verbum iungatur, nō est definitio, sed propositio quædam; vt si dicatur, Homo est animal rationale. Deinde quia per eā patefiunt rerum naturæ, quæ simplici intellectus operatione, cum ipsę sint simplices, apprehendūtur: & cum perfectissimo modo & proxime hāc operationem dirigat, merito hoc loco de ea scribitur: de qua hæc breuiter per modum introductionis nobis dicenda sunt: De nomine, de natura, de diuisione definitionis, quid definiri possit, quæ recte definiēdi præcepta, & qua ratione definitio inuestiganda sit.

Definitio, quæ & finitio latine dicitur, est oratio alicuius rei naturam obscuram clare manifestans: vnde, quod nomen definiti obscure, & confuse dicit, definitio clare & distincte explicat; vt, hæc oratio, animal rationale, quæ hominis naturam patefacit. Vnde vna simplex vox non potest esse definitio, hoc est, alicuius naturæ per plures voces determinatio. Nec quæcunque oratio est definitio, sed solū ea, qua alicuius rei natura manifestatur; qualis non est ista, Animal bipes. Talis oratio dicta est definitio, quod rerum naturas certis verbis claudat, non secus ac fines circunscribunt agros.

Cic.

Quin. lib. 7. cap. 4.

2. Poster, 7. & 10.

Est autem definitio duplex; vna nominis, si nomen

men sumatur, vt distinguitur contra rem; altera rei, qua res ipsa definitur. Definitio nominis, quæ potius interpretatio dicenda esset; est oratio quæ alicuius nominis vim significationemve manifestat: significatio enim est veluti forma nominis: vndé nominis naturam explicare, est eius significationem patefacere; vt, Philosophus, idē significat quod amator sapientiæ: cura, dicta est, quod cor vrat: sol, dictus est, quod inter astra solus luceat: abstemius, quasi a temeto abstinens: Hanc Græci, etymologiam vocant, latine veriloquium, quod veram vocis explicationē retineat: Cicero notationem, Aristoteles symbolum, iddest notam vocauit.

Definitio rei, est oratio qua rei natura explicatur; vt, Rhetorica est ars bene dicendi: virtus est habitus bonus. Est autē triplex, essentialis, caussalis, accidentaria seu descriptiua. Essentialis definitio, est oratio quod quid erat esse rei significans, hoc est oratio quæ rei essentiam significat: vel quæ rem per partes essentiales manifestat. Sunt autem partes essentiales, vel metaphysicæ, vt genus & differentia; vel physicæ, vt materia & forma. Definitio essentialis quæ datur per genus & differentiam, dicitur essentialis metaphysica; vt homo est animal rationale: quæ vero per materiam & formam, essentialis physica, vt homo cō stat ex corpore organico, & anima rationali. Huc reuocantur definitiones essentiales quæ dantur per genus remotum, & differentiam propriam; vt homo est substantia rationis particeps: quæ genere & materia, formave sola constant, vt homo est animal recto corpore, vel animo rationis participe: quæ dantur per enumerationem partium integrantium; vt rhetorica est ars quæ inuentione, dispositione, eloquutione, memoria, & actione

Aristot.

ne conficitur: & illę fine quibus definiti essentia intelligi non potest, licet cōtineāt aliquid quod non est de rei essentia; vt relatiuorum definitiones. Cæterum, definitiones essentiales quæ dantur per genus & differentiam, rarissimę sunt, pręsertim in genere substantiæ.

Definitio caussalis est oratio, quæ rem per genus & caussas explicat; quarum quattuor sunt genera, materia, forma, finis, & efficiens; quibus adderes exemplar, formam nimirum externam ad cuius imitationem efficitur quippiam: quarum duæ primæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. Ex caussa efficiente sumitur hæc, vox est sonus editus ab anima ictu aeris respiratione attracti:
Lib. 2. de Ani. 8. & 2. Ex fine hæc, Anima est forma qua primo viuimus, sentimus, & intelligimus. Ex caussa exemplari ista, Homo est animal factum ad imaginem & similitudinem Dei. Interdum per omnes caussas definimus, & longe melius per plures quam per vnam; quia per vnam non facile definitio cōuertitur cum definito. Ad definitionem datam per formam reuocantur definitiones quibus concreta definiuntur per suum abstractum: vt lumen est actus diaphani, idest forma, accidentaria rei perspicuæ, vt aeris: album est id quod albedine afficitur.

Definitio descriptiua, siue descriptio est oratio quæ rem per accidentia explicat: quæ non significat quod quid erat esse rei. Datur autem, vel per accidens proprium, operationem ve propriam; vt homo est animal disciplinæ capax, animal quod loqui potest: vnde satis est una proprietas, ni velis facere definitionem ex pluribus conglobatā:
5. Top. c. 2. Hanc Aristoteles proprium, & orationem coniunctione unam vocat. Huc reuocantur descriptiones, quæ dantur per communia accidentia;

quæ

quæ ſimul iuncta non reperiuntur, niſi in re definita; vt homo eſt animal bipes, implume. Reuocãtur etiam definitiones, quibus genus definitur per differentias; vt, animal eſt corpus, animatũ rationale, aut irrationale: quia differentiæ accidunt generi. Similiter illæ quæ non conſtant vero genere, vt definitiones ſummorum generum, & analogorum. Et denique, deſcriptiones oratoriæ & poeticæ, quæ per communia dantur: ſed hæ ſæpe non recurrũt, cum eo quod deſcribitur: rerum ſingulariũ deſcriptiones, explicationesque metaphoricæ; vt ſomnus eſt mortis imago: Homo bulla; occaſio flos temporis. Hoc genus definitionis dicitur deſcriptio, quia non omnino rem exprimit, ſed quaſi per lineamenta adũbrat: dicitur proprium, quia hoc ſolum habet commune cum vera definitione, quod cum re conuertatur: dicitur oratio coniunctione vna, quia non ſignificat vnam tantũ naturam, ſed multas coniunctas in eadem re.

Ex his quæ de ſpeciebus definitionis diximus colligere licet, non eodem modo omnia definiri poſſe, ſed quædam deſcribi, quædam explicari per cauſſas, quædam per genus, & differentiam: ſubſtantia per ſe, accidens per ſubiectum: potentia, & habitus, per actus, & obiecta, & relata per ſuos terminos definiuntur

Similiter, nec quæcũque res eſt definibilis, ſed quod definitur, primum debet eſſe quid ſimplex, & vnum per ſe, nõn aggregatum per accidens, vt homo albus: Deinde vniuerſale, quia ſingularia mutantur; quamuis ſingulare poſſit dici definitum remotum, ſicuti vniuerſale definitum proximum. Poſtea quod proprie definitur debet eſſe ſpecies alicui generi ſubiecta: vnde genera ſumma, & differentiæ non definiuntur, ſed deſcribũ- 7. Met. 4.

tur. Postremo debet esse aliquid reale, & ita figmenta, vt chimęra non habent nisi definitionem nominis, quæ tamen aliquo modo explicat quid rei, cum ficta aliquo pacto sint res, nimirũ fictæ.

Ad bonam vero definitionem conficiendã hęc præcepta obseruanda sunt. Primum, vt definiamus per notiora, ita vt definitio sit clarior definito: contra faciunt qui per Metaphoras prælertim remotas, definiunt: qui idem per idem, aut verbis parum mutatis: qui verbis ambiguis vtuntur, ni addãt particulam, quæ ambiguitatem tollat: qui contrariũ per suum contrarium, cũ ista in scientia sint æque nota: Vnum tamen relatiuum potest definiri per aliud.

6. Top. c. Secundum, definitio debet esse propria, ita vt cum re definita reciprocetur, hoc est, vt cui conuenit vnum conueniat, & aliud. Contra faciunt, qui definiunt per communia: qui assignant definitiones non conuenientes omnibus quæ continẽtur sub definito, vnde definitiones per Etymologiam sępe peccant, cum, vel latius pateant, vel sint nimis contractæ, vt Theologus est qui de Deo loquitur: Geometria est ratio metiendi terram: illa latius patet, hæc deficit, quia Geometria plura cõplectitur, quam quod illa definitione exprimitur: In quo Oratorum, & Poetarum descriptiones peccare solent.

Tertium, nihil in definitione desit, nihil abũdet. Solet autem deesse, cum sumitur genus rei remotum, & omittuntur genera intermedia; vt si quis definiens hominem diceret, esse substantiam rationalem. Similiter, si res composita ex materia, & forma definiat, & altera caussa omittatur, vt si dicas, homo est animal cõstans ex animo rationis capace. Solent interdum graues auctores aliquid definiendo omittere, quod tamen

facile subintelligi potest. Illud autem superest, quo remoto, ad huc definitio conuertitur. Nec id censetur superfluum, quod aliquo modo planius rem declarat.

Quartum, definitio sit breuis, ita tamẽ, vt breuitas perspicuitatem non tollat. Quare, non est necesse tot addere particulas, quot sunt dubitationes circa rem definitam: Quamuis illa probetur definitio, quæ difficultates tollit. Ea igitur in definitione solum ponantur, ex quibus obiecta facile sit soluere: præsertim, si ad id faciendũ sophistarum cogeret importunitas. 4. Physic. tex. 4.

Definitio inuestigatur duobus modis, diuisione, & collectione: diuisione hoc modo. Reuocatur res definienda ad suam categoriam, & sumitur supremum genus, quod per suas differentias diuiditur, donec deuenitur ad differentiam propriam, seu proprietatem rei definitæ, quæ vna cũ genere proximo quandam faciet orationem, quæ perfectæ definitionis formam habebit; erit enim oratio quæ cõstabit ex genere, & differentia. Collectione, seu similium cõsideratione, hoc pacto. Si velles definire vltimam speciem, inuenias in eius indiuiduis rationem aliquam, ob quam nomine talis speciei vocãtur, & ea erit talis speciei definitio; vt ecce, indiuidua speciei humanæ, habent hanc communẽ appellationẽ, vt dicãtur rationis capacia: igitur hæc erit eorum ratio. Similiter, si aliqui dicũtur fortes, quia maxima adeũt pericula, idque virtuti ascribitur: erit igitur fortitudo virtus quæ circa maxima versatur pericula. Pari quoque ratione ex similitudine quæ cernitur in multis speciebus conficitur generis definitio. Et hæc de definitione pro nostri instituti ratione dicta sufficiant. 1. Elenc. 4.


Libri Secundi Finis.

INTRODVCTIONIS IN LOGICAM

LIBER TERTIVS.

In quo ea traduntur quæ ad ſecundam intellectus operationem dirigendam pertinent.


Quibus de rebus, & quo ordine agendum ſit. Cap. I.



Xplicata prima Logicæ, parte, qua prima intellectus dirigitur operatio, ſequitur, ut de ijs agamus, quæ ad dirigendam ſecundam pertinẽt. In ſecunda itaque operatione hæc animaduerti poſſunt, in quibus hic tertius verſabitur liber: id de quo aliquid affirmamus, quod ſubiectum vocatur: id quod affirmamus, aut negamus, nimirum prædicatum: & iudicium quo iudicamus attributum conuenire, aut non conuenire ſubiecto. Quæ, etſi in ſecũda intellectus operatione reperiant: tamen, quia multo melius explicantur, & intelliguntur prout in oratione, & propoſitione vocali continẽtur; ideo de ſecunda operatione agentes, ea conſiderabimus, vt voce & oratione exponuntur. In hoc itaque libro, cuius ſubiecta materia eſt propoſitio, ſiue enunciatio, primo agemus de partibus ſimplicibus orationis, & de oratione ipſa: deinde de enunciatione abſoluta & ſimplici, deq; eius affectio-

fectionibus; postea de enunciatione modali, & de eius accidentibus: præterea de enunciatione coniuncta, siue hypothetica: ad hęc, de quibusdã enunciationibus expositione indigentibus: ac postremo de diuisione, quæ est præcipuum secũdæ operationis dirigendæ instrumentum.

De nomine, & verbo. Cap. II.



CVm subiecti in hoc libro propositi, primæ partes, sint nomen, & verbum, ideo de eis priore loco nobis agendum est.

Nomen, vt a Logico considera- tur est vox significatiua ex instituto, sine tempore, finita, & recta, cuius partes separatę per se nihil significãt. Dicitur vox, quia hic definitur nomen vt est terminus vocalis. Significatiua, vt excludantur voces quæ non significant, mentis nimirum notiones. Ex instituto, vt excludãtur voces quæ naturaliter significant, vt gemitus, & interiectiones: Sine tempore, vt distinguatur a verbo & participio, quæ significant cum tempore. Nomina enim significant quidem tempus, partemve temporis, vt æuum, dies, hora, atque aliquid, quod determinato tempore fit, vt cœna, prandium; sed non significant cum tempore. Finita, vt excludatur nomẽ infinitum, quod nihil determinate significat; vt non homo, non leo, q̃ voces nihil determinate significant, & affirmari possunt de ijs quæ sunt, & de ijs quæ non sunt; vt non homo de ligno & chimera. Recta, ad excludendos casus obliquos, qui apud Logicum non sunt nomina; vt Petri, Petro; quæ, etiam cũ ver-

1. Periher me. c. 2.

2. Periher me. c. 3.

bo eſt, non dicũt verum vel falſum; ſicuti nec nomina adiectiua, adiectiue poſita: ſimiliter nec pronomina, niſi vt ſunt loco nominis. Dicit, cuius partes, &c. ad excludẽdos terminos complexos, & orationẽ, cuius partes aliquid ſignificant. Addunt aliqui huic definitioni, Quæ cum verbo, eſt, ſignificat aliquid veri, vel falſi.

Verbum, eſt vox ſignificatiua ex inſtituto cũ tempore, finita, & recta, cuius nulla pars ſeparata per ſe ſignificat, & eſt ſemper quæ de alio prædicantur nota. Huius definitionis priores partes intelliguntur ex dictis: Dicitur cum tempore, ad excludendum nomen: Finita, ad excludendum verbum infinitum; vt non legit, non amat. Recta ad excludendos caſus verbi, vt ſunt omnes verbi voces, præter voces præſentis indicatiui, & eius participium: Cuius partes &c. additur hęc particula ob eandem cauſſam, ob quam allata fuit in definitione nominis: Et eſt ſemper, &c. ponitur hęc particula ad excludenda ea verba & participia, quæ non ſemper prędicantur: vt ſi dicatur, diſputare eſt loqui, & diſputans loquitur: quoniam verbum ſemper habet annexum prędicatum, in enunciatione; vt Petrus legit; vbi verbum legit, ſtat loco rei, ideſt loco lectionis, quam ſignificat. Quare verbum tria includit: primo dicit rem aliquam: ſecundo deſignat tempus: poſtremo illam rem vnit cum aliquo ſubiecto, cuius dicitur nota ideſt prędicatum; vt, legit, dicit lectionem, in tẽpore, in aliqua perſona, ſiue ſubiecto legente.

Pręter nomen & verbum, alię etiã partes orationis ponuntur in enũciatione: quarum aliquę non reuocantur ad illas, vt multę propoſitiones & coniunctiones, a, abs, ſi, vel, & aduerbiũ; Non verbum, eſt, vt eſt copula, & ſigna uniuerſalia & particularia, quę dilatant, aut contrahunt ſubiectum.

ctum. Sunt etiam quędā voces quę uidentur simplices partes orationis, quæ tamen in mente ingenerant conceptum complexum; vt Nihil, id est nulla res: semper, nunquam, & multa aduerbia, & interiectiones, Pape, Apage. Aliæ vero sunt simplices orationis partes, quę ad Nomen & Verbum reuocantur. Quę tēpus non significant, reuocantur ad nomen; vt nomina infinita, adiectiua, adiectiue accepta, pronomina, & casus obliqui nominum & pronominum, & quædam aduerbia quæ more casuum a nominibus ducūtur; vt docte, sapienter. At vero ad verbum reuocantur ea quæ tempus significant; vt verba infinita, tempora præteriti & futuri indicatiui, & infinitiui modi, ac participia, eorumque casus.

De oratione. *Cap.* III.



Rationis partibus expositis; sequitur vt de tota oratione dicamus, quam hunc in modum definiunt.

Oratio est vox ex instituto significans, cuius aliqua pars separata significat; vt, Deus est iustus; omne bonum, liber Platonis, & aliæ voces aliquo grammatico nexu coniunctæ. Nam multæ dictiones nullo grammatico vinculo copulatę, vt istæ, terra, aqua, aer, ignis, cœlum, non sunt vna vox, nec oratio. Allatę definitionis priores particulæ patēt ex dictis: vltima vero additur ad distinguendam orationem a nomine, & verbo. Neque necesse est, vt omnes orationis partes separatæ significent, sed satis est, si vna significet. Potest autem oratio cōponi ex dictionibus per se in ipsa significantibus duobus modis: vno modo explicite; vt nullus homo,


1. Perihe. ca. 4.

mo, nulla res, in omni loco; altero implicite, vt si dicatur, Nemo, Nihil, vbique: posteriores voces, quia idem significant quod superiores, & totidem conceptus in animo gignunt, p testate iisdem partibus constare dicuntur. Vnde, licet nõ sint orationes voce, significatione tamen sunt; ac proinde orationes simpliciter censentur: Nam apud Logicos, non tam vocum, quam significationis habetur ratio.

Oratio duplex est: altera perfecta, quæ perfectam cõtinet sententiã, vt Deus est pastor meus: imperfecta, quæ integram sententiam nõ habet: quæ rursus duplex est, vna quæ mutilam continet sentẽtiam; vt, si veneris: libros legere; in quibus aliquid desideratur: altera, quæ nullam sententiam nec truncatam continet; vt, animal rationis capax: quantitas discreta: disputatio de Logica, & id genus aliæ, quæ non videntur aliquid vlterius significare, & more nominum significant. Perfectarum orationum, aliæ sunt interrogatiuæ, aliæ deprecatiuæ, aliæ imperatiuæ, aliæ enunciatiuæ; ex quibus solum vltimas considerat Logicus. Vnde oratio perfecta diuiditur in enunciatiuam, & non enunciatiuam. Non enunciatiua est, quæ licet gignat sensum perfectum,
1. Perihe. c.4. nihil tamen veri, vel falsi dicit: Enunciatiua vero, est oratio perfecta quæ verum, aut falsum significat; vt Deus est verax: homo est lapis: si leue est, ascendit. Hæc communiter appellari solet propositio, quam appellationem retinentes, deinceps de propositione agemus, eius naturam, affectiones, speciesque explicando.

De

De Enunciatione, seu propositione.
Cap. IIII.



Ropositio est, quid compositum per intellectum, quod suo modo constat materia, forma, quantitate, & qualitate.

Propositionis materia sũt illi termini in quos resoluitur tanquam in subiectum, & prædicatum: subiectum est id, de quo aliquid dicitur, prædicatum, quod de alio dicitur. Forma est ipsum verbum, quod copula nominatur; quia vnit prædicatum cum subiecto; vt in hac propositione, Deus est misericors; Deus & misericors sunt materia, verbum, est, forma: sicuti in propositione mentali res quæ apprehenduntur sunt materia, & iudicium illud quo iudicamus vnam prædicari de alia, est veluti forma, quæ in propositione vocali per verbum exprimitur, sicuti res cõceptæ per prædicatum & subiectum. Prędicatum interdum est simplex terminus, vt in hac propositione, Christus est recuperator: aliquando integra propositio; vt, qui recte viuit, feliciter moritur: qui est iustus, saluabitur: vbi secundum verbum dicitur copula principalis, primum verò minus principalis: hoc se tenet ex parte subiecti, illud ex parte prædicati; quia, vel est prædicatum, vel ipsum coniungit cum subiecto. Prædicatum ergo interdum est expressum, & a verbo distinctum, vt in hac propositione, Christus est Deus; & huiusmodi propositiones dicuntur de tertio adiacente: aliquando non est expressum, sed continetur in ipso verbo; vt in hac Deus gubernat, Deus est; & hæ dicuntur de secundo adiacente. Vnde omnis propositio, vel est de secundo adiacente,

1. Prior. c. 1.

cente,

cente, vt eſt illa quæ vnica uoce continet prædicatum, & copulam, vt homo currit: vel de tertio adiacente, vt ea quæ habet prædicatũ expreſſum. Cęterum, ſi ea quę eſt de ſecundo reſoluatur, fiet de tertio, vt ſi dicatur, homo legit, reſoluetur in hanc, Homo eſt legens.

Rurſus propoſitionis materia ſumitur ex rebus ipſis per terminos ſignificatis; quæ, ſi ſint neceſſario connexæ, materia dicetur naturalis, in qua prædicatum habet connexionem neceſſariã cum ſubiecto, vt cum definitio, vel pars definitionis, aut propria paſſio de ſuo dicitur ſubiecto; vt, homo eſt animal rationale, viuens, corpus, & riſiuus. Si vero nullo modo prædicatũ poſſit cõuenire ſubiecto, materia dicitur remota; vt homo eſt lapis. Si vero aliquando poſſit conuenire, aliquando non, dicetur contingens; vt homo eſt albus, homo ſtudet. Vnde alia conſurgit propoſitionum diuiſio, ſumpta a materia; quæ nihil aliud eſt, quam habitudo prædicati ad ſubiectum, quod alia ſit ex materia naturali, ſiue neceſſaria, alia ex remota, alia ex contingenti. Vbi nota, negatiuas in hac materia reduci ad ſuas affirmatiuas, quæ eiuſdem materiæ eſſe dicuntur; vt iſta, homo eſt riſiuus, homo non eſt riſiuus.

Rurſus, prædicatum, vel proxime eſt coniunctum cum ſubiecto, vt accidit, cum nihil inter vtrunque intercedit, vt in hac propoſitione, homo eſt rationalis, vel non proxime conuenit, ſed medium quid inter vtrunque intercedit, vt homo eſt ſubſtantia, inter quæ intercedit, viuens, corpus, vnde duo alia oriuntur propoſitionũ genera, quod aliæ ſint immediatæ, aliæ mediatæ.

Item prædicatum, vel eſt idem omnino cum ſubiecto, vt in hac, Petrus eſt Petrus, homo eſt homo, & hæc dicitur propoſitio identica, vel eſt

diſtin-

distinctum aliquo modo, & tunc dicitur nõ idẽtica, vt homo est risiuus.

Præterea, aut prædicatũ inest per se subiecto, vt cum prædicatur vnũ ex quattuor primis prædicabilibus, aut per accidens, vt quando prædicatur vltimum prædicabile de suo subiecto: vnde alia oritur diuisio, quod alia propositio sit per se, alia per accidens.

Ad hæc; propositionum, alia est simplex, alia coniuncta: simplex, quæ & categorica dicitur, est ea in qua vnum de vno dicitur, siue illud sit simplex, vt homo est iustus; siue compositum, vt homo iustus est prudens: homo probus est iustus, & prudens: illa dicitur propositio de simplici extremo, hæc de coniuncto, qualis non est ista, Petrus est simplex, prudens; cum ex his duobus terminis non efficiatur vnum prædicatum per coniũctionem. Cõiuncta, quam hypotheticam vocãt, est illa quæ ex simplicibus coniũctione aliqua nectitur, vt si sol ortus est, dies est; Deus est verax, & homo mendax. 1. Periher me.c. 4.

Denique, propositionum alia absoluta quæ dicitur, De inesse; vt cũ prædicatum simpliciter sine vllo modo dicitur conuenire subiecto; ut homo est viuens: alia modalis, qua quo modo aliquid alicui conueniat enunciatur; vt homo necessario est animal. Nonnullæ aliæ diuisiones sequenti capite explicabuntur. 1. Priorũ. 2. Perihe.

De propositionis affectionibus, & speciatim de quantitate, & qualitate. Cap. V.

PRopositionis affectiones, hæ numerantur: quantitas, qualitas, oppositio, æquipollẽtia, conuer-

conuersio. Enunciationis quantitas, est extensio, aut vnitas numeralis earum rerum, pro quibus subiectum sub prædicato accipitur.

1. Perihe. c.5. Ex quantitate hæ oriuntur propositionis diuisiones. Enunciationum, alia vniuersalis, alia particularis, alia indefinita, alia singularis. Vniuersalis propositio est illa cuius subiectum est terminus communis cũ signo vniuersali; vt hæc, Omnis homo est animal; signa vniuersalia sunt, omnis, nullus, quilibet, vterque. Particularis est illa, cuius subiectum notatur signo particulari; vt, quidam, vel aliquis homo est Logicus; alter oculus est dexter. Indefinita, cuius subiectum est terminus communis nullo notatus signo; vt, homo legit, animal currit. Quæ æquiualet vniuersali in materia naturali; vt homo est animal: At ex modo significandi, & in materia contingenti idẽ valet, ac particularis, vt homo est iustus. Singularis est ea, cuius subiectum est terminus singularis, vel accipitur pro vna re tãtum singulari; vt, Plato est sapiens; hic homo studet. Huc reuocantur illæ quarum subiecta accipiuntur pro rebus communibus præcisæ; vt homo est species. Nam cũ subiecta non accipiuntur pro multis, fieri nõ potest, ut sint vniuersales, aut particulares, aut indefinite.

1. Perihe. cap. 4. Qualitas est propositionis affectio, qua denominatur qualis, & præsertim, affirmata, vel negata. Propositio affirmata est illa, cuius verbũ, seu principalis copula est affirmata; vt, omnis homo currit: qui studet, est diligens. Dixi principalẽ copulam debere esse affirmatam, quia si minus principalis negetur, propositio censetur affirmata, vt ista, qui non studet, euadet ignarus; vbi copula

Cap. 4. principalis est secundum verbum, ut patet ex dictis, quod est affirmatum, cum ei non sit annexa

nega-

negatio, Est autem affirmatio, oratio in qua aliquid alicui tribuitur. Negatiua est illa cuius principalis copula est negata, vel cuius subiectū habet signum negatiuum; vt homo non currit: nullus homo est lapis: Qui studet, non erit ignorās;. Negatio vero, est oratio quę remouetur aliquid ab aliquo; quæ solet dici diuisio, sicuti affirmatio compositio. Vbi nota discrimen inter signum affirmans, & negans: nam, si affirmans præponatur subiecto, & copula negetur, erit propositio negatiua; vt omnis homo nō est lapis: at vero si pręponatur signum negatiuum etiam si copula non negetur, erit negatiua; vt nullus homo est lapis. Rursus, signum affirmatiuū distribuit subiectū, confundit prædicatum, vt omnis homo est animal, Homo stat distributiue, animal confuse: at signum negatiuum, vtrunque distribuit, vt in hac nullus canis est lapis: nullibi homo latrat: Et hęc qualitas secundum affirmationem, & negationē solet vocari essentialis. 1. Perihermene.c. 4.

Rursus, propositio dicitur qualis, a veritate, & falsitate. Illa dicitur vera quæ significat id quod est, esse, id quod non est, non esse, ea nimirū quæ est cum re quam enunciat conformis; vt, cœlum mouetur: lapis nō est homo. Illa falsa, quę significat id quod non est, esse, & quod est, non esse, & proinde non est consona cū re ipsa, vt homo non est viuens, homo latrat. 1. Perihe. 5.6.


Item fit alia diuisio secundum qualitatem, quę ex aptitudine ad veritatem, & falsitatē, & ex materia sumitur. Alia itaque enunciatio dicitur necessaria, alia impossibilis, alia contingens: nec tamen idem est propositionem constare ex materia necessaria, aut impossibili, & esse necessariā, aut impossibilem, nam hæc est necessaria, homo non est lapis, sed non constat ex materia necessaria.

5. Metap. tex. 6. Necessaria ergo ita est vera, vt non possit esse falsa: in quo genere ponũtur omnes affirmatiuæ ex materia naturali, vt homo est viuens, & omnes negatiuæ ex materia remota; homo nõ est lapis. Quod diximus de enũciationibus ex materia naturali, intelligendum est, cum prædicatũ nõ minus late patet, quam subiectum: vnde ista, non est vera, omne animal est homo, cum sit ex materia necessaria: nam cum inferius prædicatur de suo superiori materia est necessaria, licet propositio non sit naturalis. Tunc autem propositio dicitur naturalis, seu directa, cum prędicatur id quod debet prædicari, nimirum superius de inferiori, æquale de æquali, & accidẽs de subiecto, & ea quę sunt quasi forma, & constitutiua subiecti: non naturalis, seu indirecta est ea, in qua non prædicatur quod prædicari debet; vt animal est homo; vbi inferius dicitur de superiori, & albũ est corpus, vbi subiectũ de accidente prędicatur. Enunciatio impossibilis est, quæ ita est falsa, vt nõ possit esse vera, vt Leo est lapis: cygnus nõ est albus: cuiusmodi sunt omnes affirmatiuæ in materia remota, & omnes negatiuæ in materia naturali; cũ tamen prędicatum non minus patet quam subiectum, quia tunc possunt esse necessarię; vt, quodam animal non est homo. Contingens quæ ita
1. Prior. 12. est vera, vt possit esse falsa, vt sunt illæ quæ fiunt ex materia contingenti.

Ad hanc affectionem a qualitate sumptam reuocares quasdam alias enunciationis species proximo capite numeratas: sicuti & hanc, quod alia
2. Perihe. 1. sit finita, vt illa cuius termini seu categoremata sunt finita; vt homo est iustus: alia infinita, cuius categoremata, seu termini sunt infiniti; vt, non homo est lapis: homo est non bonus.

De

De oppositione. Cap. VI.



Vod attinet ad hanc secundam enũciationis affectionem, primo dicemus quid sit, deinde quotuplex sit, postremo quomodo in oppositis reperiatur veritas, & falsitas. Quod igitur ad primum attinet, Oppositio communiter hunc in modum definiri solet.

Oppositio est differentia duarum propositionũ habentium idem subiectum, & prædicatum, secundum quantitatem, vel qualitatem, vel vtrũque, vt omnis canis est animal; aliquis canis est animal, vbi est oppositio, siue diuersitas secundũ quantitatem, quia in vna subiectum est vniuersale, in altera particulare. At vero alij sic definiunt; Oppositio est duarum propositionum repugnantia secundum affirmationem, & negationem; vt aliquis homo currit: aliquis homo non currit. Ex qua descriptione colligeres, vniuersalem, & particularem non esse oppositas, nisi intercedat oppositio secundum affirmationem, & negationem, vt sunt istæ, omnis homo currit: aliquis homo currit; quæ nec etiam secundum veritatem opponuntur: ex qua parte, nec particulares quarũ vna sit negata, alia affirmata opponuntur, vt aliquis homo currit: aliquis homo nõ currit, quia ambæ possunt esse veræ. Vt autem vera fiat oppositio, in vtraq; propositione termini debent esse ijdem, & eodem modo sumi. Vnde istę, non sunt oppositæ, Cicero docet, Tullius nõ docet; quia non habent idem subiectum omnino. Est autem, vt cõmuniter docetur, oppositio quadruplex, contraria, contradictoria, subcontraria, & subalterna. Libr. 1. Prior. c. 5. & 6.

Oppositio contraria est ea qua duę propositio-

nes vniuersales opponuntur secundum qualitatẽ affirmatiuam & negatiuam; vt omnis homo currit, nullus homo currit: Earum hæc est natura quantum ad veritatem, & falsitatem, vt in materia necessaria, & remota nō possint esse ambæ veræ, & falsæ; sed necessario vna est vera, altera falsa: vnde ex vnius veritate, necessario colligitur alterius falsitas. Ad cognoscendum quæ nam ex contrarijs sit uera, quæ falsa, hæc est regula, In materia necessaria, omnes affirmatiuæ sunt veræ, negatiuæ falsæ: in remota vero, contra: in cōtingenti possunt esse ambæ falsæ, nunquam tamen ambæ ueræ; vt, omnis homo currit, nullus homo currit: quia potest esse, ut aliqui currant, & aliqui non currant.

Oppositio contradictoria est repugnantia duarum propositionum secundum quantitatẽ & qualitatem; quarum vna est vniuersalis affirmata, altera particularis negata; vt omnis homo currit, aliquis homo nō currit: nullus homo est iustus, aliquis homo est iustus. Istarum regula quoad veritatem, & falsitatem hæc est; in omni materia vna est necessario vera, altera falsa: & ita nō possunt esse ambę veræ, vel falsæ. Et quoniam propositiones singulares non possunt mutare quantitatem, neque secundum illam opponi, si differant secundum qualitatem, censentur cōtradictorię, vt Plato disputat, Plato non disputat.

Oppositio subcontraria est repugnantia duarũ propositionum particularium secundum qualitatem; vt aliquis homo studet; aliquis homo non studet. Quod attinet ad earum veritatem & falsitatem, subcontrariæ in materia necessaria, & remota non possunt ambæ esse veræ, vel falsæ, sed vna necessario est vera, altera falsa: ĩ materia necessaria affirmatiua est vera, negatiua falsa: in remota,

mota, contra. At in materia contingenti, vtraque potest esse vera: nunquam tamen possunt ambæ esse falsæ: & ideo ex vnius veritate, non potest alterius falsitas colligi; quia possunt esse ambę veræ; vt aliquis homo est bonus, aliquis homo non est bonus. Quo fit, vt supra admonuimus, vt non sint proprie oppositæ; quia vna non vere negat, quod altera affirmat: & proinde Aristoteles sola voce oppositas esse dixit.

Oppositio subalternans est qua duę propositiones differunt secundum quantitatem; vt omnis homo est risiuus: aliquis homo est risiuus: nullus homo currit, aliquis homo non currit. Ex his vniuersalis dicitur subalternans, particularis subalternata. Quod attinet ad veritatem, in materia necessaria & remota vtraque est vera, vel falsa: in materia necessaria vtraque affirmatiua est vera, falsa vtraq; negatiua: in materia remota, vtraque negatiua vera, falsa vtraque affirmatiua; vt in exemplis, quæ facile quisque fingeret, cognoscere licet. Allatæ oppositionis species in subiecta cernuntur figura. Aristot. li. 2. Prior. ca. 15.

Subalternans. *Subalternans.*

Oīs homo est iustus. Contrariæ. Nullus hō est iustus.


Subalternæ. Contra dictoriæ. Contra dictoriæ. Subalternæ.

Aliqs hō est iustus. Subcontrarię. Aliqs hō non est iustus.

Subalternata. Subalternata.

Atque de oppositione hæc dixisse sufficiat.

De æquipollentia. *Cap. VII.*



Æquipollentia idem valet, quod æqualis poteſtas; & æquipollere, eſt idem poſſe, & valere. Eſt autẽ æquipollentia duarum propoſitionum ante oppoſitarum vis eadem, ex varia ſignorũ appoſitione proueniens; Vel duarum propoſitionum iiſdem extremis eodem ordine participantium vis eadem, ex variis ſignis proueniens: quo fit vt inter ſe inferant, hoc eſt ab vna ad aliã argumentari liceat; vt, omnis leo currit, nullus leo non currit: quæ duæ propoſitiones vim habent eandem ob particulam, non, qua remota, erunt contrariæ, & nõ idem valebunt. Tota itaque æquipollẽtiæ vis naſcitur ex ſignis negatiuis, ad quam conficiendam hæc ſunt obſeruanda.

Primo, ſi negatio præponatur alicui ſigno, mutat quantitatem & qualitatem ſigni; & ita ſi ſignum erat vniuerſale affirmatiuum, præpoſita negatione, fit particulare negatiuum; vt omnis homo, non omnis homo, quod valet, aliquis homo nõ. Si ſignum eſt vniuerſale negatiuum, negatio prępoſita, faciet particulare affirmatiuum; vt nonnullus, idem eſt, quod aliquis. Si erit particulare affirmatiuum, fiet vniuerſale negatiuum; vt aliquis homo, nõ aliquis, ideſt nullus. ſi ſit particulare negatiuum, fiet vniuerſale affirmatiuũ; vt non aliquis non, ideſt omnis. Secundo, ſi negatio poſtponatur, mutabitur qualitas, non quantitas, hoc eſt, affirmatiua fiet negatiua, & contra; vnde vniuerſalis, remanet vniuerſalis; & particularis, particularis; vt, omnis homo eſt animal, ſi poſtponatur negatio, fiet vniuerſalis negatiua; vt, omnis homo non eſt animal, quæ eſt eadem

cum hac, nullus homo est animal. Tunc autem dicitur postponi negatio, quando ponitur post subiectum ante copulam, vt omnis homo nō est animal. Tertio, si negatio præponatur signo negatiuo, tunc signum dicitur affirmare: quia duplex negatio affirmat; vt nonnullus homo currit. Ex quibus intelligitur, negationem, vel tātum præponi, vel postponi tantum, vel præponi & postponi: iuxta quos tres modos, tres conficiuntur regulæ quibus omnes propositiones oppositæ fieri possunt æquipollentes.

Prima, propositiones contradictoriæ fiunt æquipollentes, si cuilibet illarum præponatur negatio; vt, omnis homo est animal, aliquis homo non est animal, fient æquipollentes, si alterutri præponatur negatio.

Secunda contrariæ fiunt ęquipollentes, si cuilibet illarum postponatur negatio; vt, omnis homo est animal; nullus homo est animal: omnis homo non est animal, & nullus homo non est animal.


Tertia, subalternæ fiunt æquipollentes, si alterutri præponatur, vel postponatur negatio; vt, Omnis homo est iustus; aliquis homo est iustus; si dicatur, non omnis homo: vel, non aliquis homo non: & nullus homo est albus, aliquis homo non est albus, fiet æquipollentia dicendo, Non nullus homo non est; idem valet, ac aliquis homo non est albus. Has tres regulas hoc carmine expresserunt Logici. D.Thom. Opusc.48. cap.9.

Præ contradic, post contra, præ postque sub alter.

Hoc est, præposita negatio efficit, vt contradictoriæ, & contrariæ, præposita & postposita, vt subalternæ idem valeant. Pro subcontrarijs valet eadem regula quæ in contrarijs.

Addunt aliqui hic duas alias regulas: prima, vniuersalis enũciatio æquipollet aggregationi omnium singularium; vt, omnis homo est iustus, huic orationi, hic homo est iustus, & hic est iustus, & reliqui. Secunda, particularis enunciatio æquipollet disiunctioni omnium suarum singularium; vt aliquis homo est doctus, huic orationi, hic homo est doctus, vel hic homo est doctus, & cæt.

De Conuersione. Cap. VIII.



1. Priorũ. 2. & 3. TErtia enunciationis affectio est Cõuersio, siue reciprocatio: Quæ est commutatio extremorum proposi tionis seruata qualitate & veritate: hæc enim duo in conuersione seruanda sunt: Vel, est necessaria consequentia, siue reciprocatio duarum propositionum ex terminorum transpositione proueniens; cum scilicet ex subiecto fit prædicatum, & ex prædicato subiectum; vt, nullus iustus est imprudens: nullus imprudens est iustus. Illa enunciatio cuius termini commutantur dicitur Conuersa: illa vero quæ ex commutatione fit, dicitur Conuertẽs.

Est autem conuersio triplex, simplex, per accidens, & per contrapositionem. Simplex, quam etiam, In terminis, appellant, est conuersio qua eadem seruatur quantitas & qualitas, nulla alia adiecta particula: qua ratione conuertuntur, vniuersales negatiuæ, & particulares affirmatiuæ, vt nullus canis est leo, nullus leo est canis: aliquis canis currit, aliquod currens est canis.

Conuersio per accidens, est terminorum commutatio, in qua seruata qualitate, mutatur quantitas;

titas: qua ratione conuertuntur vniuersales negatiuæ & affirmatiuæ; vt nullum animal est immobile, aliquod immobile non est animal: omnis leo rugit, aliquod rugiens est leo.

Conuersio per transpositionem fit cum termini ita trãsponuntur, vt seruata quantitate & qualitate, termini finiti fiant infiniti, addita negatione; quo modo conuertuntur vniuersales affirmatiuæ, & particulares negatiuæ; vt, omnis leo est viuens, aliquod non viuens est non leo: aliquis calamus non est lignum: aliquid non lignũ est non calamus. Hæ conuersionis regulæ, hoc disticho continentur.

Feci simpliciter, Conuertitur Eua per acci:
Asto per contra, sic fit conuersio tota:

Quorum explicatio his duobus alijs carminibus continetur.

Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambæ:
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambæ.


In primis carminibus ponunt̃ tres dictiones, Feci. Eua, Asto: in quibus notantur duæ vocales, quę quid valeant, explicãtur, in duobus alijs carminibus. Prima dictio inseruit primæ speciei, secunda secundæ, & tertia tertiæ, quæ designant quæ propositiones singulis conuertantur.

In his regulis non est facta mentio conuersionis propositionum singularium, quia comprehẽduntur sub simplici conuersione, si constẽt vtroque extremo singulari; vt, Petrus est hic homo: hic homo est Petrus: Petrus non est hic homo; hic homo non est Petrus. Si vero cõstent ex prædicato communi, conuertuntur per accidens; affirmatiuæ in particulares; vt Petrus est homo; aliquis homo est Petrus: negatiuæ vero in particulares, & vniuersales; vt Petrus nõ est lignum: aliquod lignum, vel nullum lignum est Petrus,

At si

At si subiectum sit commune, & prędicatum singulare, affirmatiuæ & negatiuæ vniuersales cōuertuntur per accidens in singulares, vt omnis, aut aliquis grammaticus est Petrus, ergo Petrus est grāmaticus: at negatiuæ particulares non cōuertuntur, quia darentur conuersæ veræ, & cōuertentes falsæ; vt, aliquis grammaticus non est Petrus: ergo Petrus non est grammaticus.

De propositionibus modalibus. Cap. IX.



SI tractatio de propositionibus modalibus, vt est difficilis, ita esset necessaria, de ea accuratius, vt aliqui vsque ad fastidium faciunt, sane scriberem, sed quoniam minus est necessaria, quam vtilis, leuiter eam attingam, cum huius doctrinæ nullo modo Logicus debeat esse omnino ignarus.

Propositio igitur duplex est: altera simplex, in qua prædicatum simpliciter dicitur esse in subiecto, sine vlla limitatione, & modo, vt homo est albus, homo currit: quæ dicitur propositio de inesse: altera quæ modalis vocatur, a modo superaddito. Est autem modus duplex; alter qui afficit, limitat ve aliquam partem propositionis, nomen, vel verbum; vt casus obliqui, nomina adiectiua, & aduerbia: vt homo iustus currit: alter q̃ totam propositionis compositionem, & materiã afficit; vt homo cōtingenter currit; & de hoc modalium genere hic acturi sumus.

1. Prior. 3. & 12.

Est ergo modus vox enunciationis compositionem ratione materiæ determinans: & Enunciatio modalis, ea quæ, quo modo aliquid alicui insit,

insit, vel non insit, enunciat.

Modalis propositio quadruplex est, ex modo necessario, ex contingenti, ex possibili, & ex impossibili. Necessarium est id quod non potest nō esse: contingens quod potest esse, & nō esse: possibile, quod est necessario, & contingenti cōmune, quod potest esse, siue non possit non esse, siue possit: Impossibile, quod esse non potest.


Potest autem hic modus dupliciter addi, primo aduerbialiter, vt, necessario, contingenter, possibiliter: altero nominaliter; vt, necessarium, contingens, possibile, & impossibile est; vt si dicas, necessario homo est animal: hominem esse animal est necessarium. In prima forma modus non prædicatur, sed propositionis copulam afficit, in secunda vero prædicatur: in prima est vnū tantum prædicatum, & vnum subiectum, in secunda vtrunque duplex: & quidem hæc secunda forma est magis vsitata.

In modali enunciatione duo considerantur, ipsa simplex enunciatio, & modificatio: illa dicitur dictum, hæc vero modus; vt, homo necessario est animal, dictū, est hoc, Homo est animal, vel hominem esse animal: modus est illud aduerbiū, quod duobus locis poni potest, vel intra extrema ꝓpositionis; vt homo possibiliter disputat: vel extra, aut ante, aut post; vt homo disputat possibiliter. Quando intus ponitur, videt' facere sensum diuisum, vt aliqui adnotarūt; quādo extra, vtrūque: ceterum vtro loco ponatur vtrūque admittit sensum. Quid sit sensus diuisus, & compositus, cum de fallacijs agetur, exponam. Cum ergo dicta enunciationis forma duo contineat subiecta, & duo prædicata, alterum in dicto, alterum in modo erit: nam dictū, seu eius copula, est principale subiectum, & modus principale prædicatum; Tole.

tum;

tum; quod autem est in dicto subiectum, & prędicatum; est minus principale, vt in allato exemplo, homo est animal, quod est dictum. Hinc fit, vt qualitas, quantitas, & materia modalium attendi possint, vel ex parte dicti, vel modi, vt statim patebit.

De modalium qualitate, & quantitate. Cap. X.



Xplicata modalium natura, sequitur vt de earum accidentibus dicamus, & primum de affirmatione, & negatione, tum veritate, & falsitate, postea de quantitate.

Quod attinet ad affirmationem, & negationem, affirmatio, vel negatio potest attendi, vel ex parte modi, vel dicti, sed magis in modo spectatur, quam in dicto. Quare, vel vtrũque est affirmatum, vel vtrunque negatum, vel dictum erit negatũ, & modus affirmatus, vel cõtra, vt hominem non esse doctum est possibile; hominẽ esse doctum non est impossibile: hominẽ non esse animal non est contingens: hominẽ esse animal est necessarium: sed, vt dixi, affirmatio & negatio ex modo præcipue spectantur.

De veritate, modalis, vel est vera, vel falsa, vt omnes enunciationes; ita tamen, vt vera nõ possit esse falsa, nec falsa vera: ac proinde omnes modales, aut sunt necessariæ, aut omnes veræ: aut impossibiles, vt omnes falsæ: vt patet discurrenti per quattuor modos. Ex quibus colligeres, propriam modalium materiam esse duplicẽ, necessariam, & impossibilem, quamuis simplices enũciationes triplicem habeant materiã, vt supra diximus;

ximus; quæ non est modalium propria, Modalis ergo de necessario est vera, cuius de inesse est necessaria: falsa, cuius dictum reducitur ad impossibilem, vel contingentem. De impossibili vera, cuius de inesse est impossibilis: falsa, cuius de inesse est necessaria, vel cõtingens. De possibili vera, cuius de inesse non est impossibilis, siue sit cõtingens, siue possibilis, possibili la.e sumpto: falsa, cuius de inesse, non est necessaria, nec cõtingens, sed impossib. Idẽ dicas de contingenti. Atque hæc de qualitate: nũc de quãtitate dicamus. Supra ca. 3.

Modalium quantitas spectari potest, primo ex parte subiecti ipsius dicti; & tunc oritur quadruplex quantitas, vt in absolutarum explicatione dixi: secundo ex parte subiecti principalis, hoc est copulæ dicti, siue ex parte modi, & hęc quãtitas pcipue attendit' in modalibus. In dicto attẽditur quãtitas respectu contẽtorũ sub subiecto, in modo vero quãtitas tpis: quæ duplex est; altera vniuersalis q̃ distribuit copulã dicti in omne tẽpus, q̃ designat' his duobus modis, Necesse, Impossibile: altera particularis, q̃ eandẽ copulã distribuit in aliquod tps: q̃ designat' per Contingens, quod significat rẽ posse esse, & non esse, & per possibile quod ita rẽ esse posse significat, vt significet posse etiã non esse, nec non posse non esse. Vnde hi modi, necesse, Impossibile, contingẽs, & possibile in modalibus se habẽt, vt signa syncategorematica, omnis, nullus, & quidam, quidam non, in propositionibus absolutis; sed hæc, quantitatem numeralem, illa vero temporis quantitatem designant. Et vt signa syncategorematica vniuersalia, addita negatione, fiunt particularia, & particularia vniuersalia, ita accidit in modis: vnde, non necessarium, est particulare, non contingens, vniuersale. Cum ergo quantitas Supr. c. 5.

in mo-

in modalibus cernatur in modo, qui gerit vicem signi syncategorematici & prædicati; ideo Aristoteles ista signa, vt melius cernatur quantitas, in principio enunciationis ponere consueuit, non vt ex modo faciat subiectum. Vnde idem est dicere, Necesse est hominem esse animal, & hominem esse animal est necesse.

De modalium oppositione.
Cap. XI.



IN propositionibus modalibus quattuor sunt oppositionis formæ, ut in absolutis; contraria, subcontraria, contradictoria, subalterna: & quæ de illis traduntur regulæ quoad veritatem, & falsitatem attinet, hic etiam locum habent. Vnde nec contrariæ possunt esse simul veræ, nec subcontrariæ simul falsæ, nec contradicentes, aut simul veræ, aut falsæ: nec subalternante existente vera, subalternata erit falsa.

Potest autem oppositio spectari, vel in propositionibus eiusdem modi; vt, necesse est hominē esse animal: non necesse est hominem esse animal, vel diuersi modi; vt, possibile est hominem esse doctum: impossibile est hominem esse doctum: atqui nos agemus solum de oppositione modalium eiusdem appellationis, siue modi: Ex quibus intelligetur, quomodo quę sunt diuersæ appellationis opponantur, & primo de illis quæ constant ex dicto cuius subiectū est particulare.

Contrariæ sunt quæ constant modo vniuersali; & dictis contradicentibus; vt necesse est Petrum sedere, necesse non sedere; non possibile est

Petrum

Petrum ſedere, non poſſibile non ſedere: non cõtingens eſt Petrum ſedere, non contingens non ſedere: impoſſibile eſt Petrum ſedere, impoſſibile non ſedere.

Subcontrariæ, quæ conſtant ex eodem modo particulari, & dictis contradicentibus, vt poſſibile eſt Pet. ſedere, poſſibile non ſedere: contingẽs eſt Pet. ſedere, contingens non ſedere: non neceſſe eſt Pet. ſedere, non neceſſe non ſedere: non impoſſibile ſedere, non impoſſibile non ſedere..

Contradicentes, quæ conſtant eodem dicto, & modis contradicentibus: neceſſe eſt Pet. ſedere, non neceſſe eſt ſedere: poſſibile eſt Pet. non ſedere, non poſſibile non ſedere, & ſic in alijs..


Subalternæ quæ conſtant ex modis, & dictis contradicentibus: neceſſe eſt Pet. eſſe hominem, non neceſse eſt, non eſse hominem: non poſſibile eſt Pet. ſedere: poſſibile non ſedere: non contingens eſt Pet. ſedere, contingens non ſedere: impoſſibile eſt Pet. eſse hominem, non impoſſib. non eſse.

Atque ex his facile quiſque in ſingulis modis quattuor aſſignaret oppoſitionis ſpecies. In primo modo, neceſse eſt Pet. ſedere, neceſse eſt nõ ſedere, quæ ſunt contrariæ: non neceſse eſt Pet. non ſedere, non neceſse eſt ſedere, quæ ſunt ſubcontrarię: vnde colligũtur aliæ duæ oppoſitionis ſpecies. In ſecundo de poſſibili, Nõ poſſibile eſt Pet. ſedere, non poſſibile non ſedere: Poſſibile eſt Pet. non ſedere: Poſſibile eſt ſedere. In modo cõtingenti, Non contingens eſt Pet. ſedere, nõ contingens eſt non ſedere: contingens eſt non ſedere, contingens eſt ſedere. In modo impoſſibili, Impoſſib. eſt Pet. ſedere, Impoſſib. eſt non ſedere: non impoſſibile non ſedere, non impoſſib. ſedere. At vero ſi ſubiectum dicti fuerit commune, vt

neceſſe

necesse est omnem hominem esse animal, contrariæ debent constare modo eodem vniuersali: subcontrariȩ eodem particulari: contradicentes, & subalternæ modis contradicentibus. Quod attinet ad dicta, contrariæ, subcontrariæ, & subalternæ, si sint ex necessario, constare debent dictis contradicentibus, aut contrarijs: Si vero ex possibili, vel contingenti, impossibilique ex contradicentibus, aut subcontrarijs: at verò contradicentes, idem dictum habere debent; vt facile quisque exempla fingendo videret.

De modalium æquipollentia. Cap. XII.



AD æquipollentiam inueniendam in modalibus, primum necesse est, vt modi omnium sint eiusdem quantitatis, id est omnes vniuersales, vel particulares: deinde, dicta enũciationum ex possibili, & impossibili sint eadem inter se, & vt contradicant dictis enunciationum ex necessario. Quȩ duo monita qui tenebit, is cuiuscunq; modalis ȩquipollentes facile inueniet.

Aequipollentes ex dicto particulari.

Ar	Necesse est Pet. esse hominem.	Ve	Necesse est P. non esse hom.
gu	Nõ possib. P. nõ esse ho.	Ri	Non possib. P. esse hom.
tu	Nõ cõting. P. nõ esse ho.	di	Non conting. P. esse hom.
Ie.	Impossib. P. nõ esse ho.	ca	Impossib. P. esse hom.
Sũt	Nõ necesse P. nõ esse ho.	Qui	Nõ necesse est P. esse ho.
a	Possib. Pet. esse homin.	re	Possib. Pet. non esse hom.
ta	Contin. Pet esse hom.	fe	Contin. Pet. non esse hom.
vi.	Nõ impos. P. esse ho.	rũt	Nõ Impos. P. non esse ho.

Aequipollen.ex dicto communi.

	Tabella 1.		Tabella 2.
Ar	Neceſſe eſt hom.eſſe aı̃al.	Ve	Neceſſe eſt nullum hom. eſſe anim.
gu	Nõ poſſib.aliq.ho.eſſe ani.	ri	Nõ poſſib.aliq.ho.eſſe an.
tu	Nõ conting.aliq.ho.non eſſe anim.	di	Non conting.aliq.ho.eſse anim.
le.	Impoſſib.aliq.ho.non eſſe anim.	ca	Impoſſib.aliq.ho.eſse an.

	Tabella 3.		Tabella 4.
Sũt	Non neceſſe eſt nullum hom.eſſe anim.	Qui	Non neceſſe omnem ho. eſſe anim.
a	Poſſib.aliquẽ ho.eſſe ani.	re	Poſſib.aliq.ho.nõ eſſe an.
ta	Cõting.aliq ho.eſſe ani.	ſe	Cõting.ali.ho.nõ eſſe an.
ui.	Nõ impoſſ.eſt aliq.hom. eſſe ani.	rũt.	Non impoſſ. aliq. hom. non eſſe ani.

Iuxta duo tradita documenta omnes quæ ſunt in quauis tabella ſunt æquipollentes.

Atque ex his quæ dicta ſunt de oppoſitione & ſubalternatione modalium eiuſdem generis, facile percipi poteſt oppoſitio,& ſubalternatio earum,quæ ſunt diuerſi generis. Nam enunciationes ex neceſſario, ĩ prima & ſecũda tabella ſunt contrariæ; in tertia & quarta ſubcontrariæ: vnde prima contradicet quartæ,& ſecunda tertiæ: & ita prima erit ſubalternans tertiæ, & ſecunda quartæ: & cum omnes quæ ſunt in eadem tabella ſint æquipollentes, quæ ſunt in prima erunt contrariæ ijs quæ ſunt in ſecũda: quæ ſunt in tertia ſubcontrariæ ijs quæ in quarta: & vt tota prima contradicit toti quartæ, ita tota ſecunda tertiæ: & tota tertia ſubalternata primæ, & quarta ſecundæ.


Vt facile quisque aliqua posita modali eius æquipollentem inuenire possit; excogitatæ sunt dictiones singulis tabulis affixæ: quarũ quattuor vocales significant modales suo ordine positas. A, significat affirmatam ex modo & dicto: E, affirmantem modi & negantem dicti, I negantem modi, & affirmantem dicti. V, negantem vtriusque, vnde versus,

E dictum negat, Ique modum, nihil A, sed V, totum.

Sed de modalium oppositione hucusque.

De modalium conuersione. Cap. XIII.

Aristo. li. 1. Prior. c. 3.




Odalium conuersio non est eadem quæ absolutarum: vnde non est cõmutatio principalium extremorũ, ita vt modus qui prædicatur de dicto fiat subiectum, & dictum fiat p̃dicatum: modus enim in modalibus explicatis p̃ infinitum esse, nõ potest fieri subiectum, etiamsi in principio ponatur; sed extremorum quæ in dicto continentur, seruata dicti qualitate, & totius modalis veritate: vt, necesse est Petrum esse hominem: igitur necesse est hominem esse Petrum. Ad hanc conuersionem intelligendam tria animaduertenda sunt.

Primum hic omittitur conuersio per cõtrapositionem: quia licet sit possibilis, cum dicta sunt vniuersalia affirmantia, vel particularia negantia; tamen vt parum vtilis consulto relinquitur.

Secundum, modales ex necessario & possibili affirmatis, conuertuntur, vt enunciationes absolutæ conuersione simplici, & per accidens. Vniuersalis

uerſalis negatiua, & particularis affirmatiua con uertuntur ſimpliciter: Ambæ vniuerſales, ideſt affirmata & negata, conuertuntur per accidens: at particularis negatiua nullo modo cõuertitur; quia daretur conuerſa vera, & conuertens falſa; vt, neceſſe eſt aliquod animal non eſſe hominẽ: ergo neceſſe eſt aliquem hominem non eſſe animal: idem contingeret, ſi loco neceſſe, poneres, poſſibile. Aliarum vero conuerſiones facile ex dictis cognoſci poſſunt, nimirum cõuerſiones modalium ex neceſſario, & poſſibili negatis, & ex impoſſibili negato, vel affirmato: quia, cum in tabellis ęquipollentium ſupra poſitis reperiatur aliqua enunciatio ex neceſſario, aut poſſibili affirmato, qui harum conuerſionem cognouerit, facile percipiet in quos reliquæ commutentur. Quod autem dictũ eſt de modali ex poſſibili, intelligendum eſt de modalibus de contingenti improprie ſumpto, quod idem eſt, ac poſſibile.


Tertium propoſitiones ex cõtingenti proprie ſumpto affirmantes conuertuntur, ſicuti & abſolutę; vt contingẽs eſt omnem hominem, vel aliquem hominem vigilare, ergo contingens eſt aliquod vigilans eſſe hominem: at vero cũ ſunt negatiuę particularis conuertitur ſimpliciter, vniuerſalis vero non item: vnde hæc eſt bona conuerſio, contingens eſt aliquem hominem eſſe album: ergo contingens eſt aliquod album eſſe hominem: hæc vero non ita, contingẽs eſt nullum hominem eſſe album; ergo contingens eſt nullũ album eſſe hominẽ: quia conuertens eſt falſa, cũ neceſſe ſit aliquod album, vt niuem, non eſſe hominem.



Habent autem contingentes hanc propriã cõuerſionem, vt affirmans poſſit mutari in negantẽ, nulla facta extremorum, aut quantitatis mu-

tatione, vt cõtingens eſt omnem hominem currere, ergo contingens eſt nullum hominem currere, & contra: ſic in particularibus.

De enunciatione coniuncta, ſiue hypothetica, quid, quotuplex, & qualis ſit.
Cap. XIIII.



Xplicatis ſimplicium enunciationũ formis, ſequitur vt de compoſitis dicamus.

Eſt autem enunciatio compoſita ſiue coniuncta, ea quæ ex pluribus ſimplicibus conſtat, aliqua coniunctione connexis: cuius varię numerantur ſpecies.

Aliqui tres tantum ſpecies faciunt, copulatiuam, diſiunctiuam, conditionalem. Copulatiua eſt ea, cuius partes particula copulatiua nectuntur; vt, homo eſt animal, & animal eſt viuens. diſiunctiua, cuius partes iungũtur particula diſiũctiua, vel, ſiue, aut; vt, homo, vel currit, vel non currit: conditionalis, eſt ea quæ particula conditionali cõficitur; vt, ſi ſol ortus eſt, dies eſt. Ad copulatiuam reuocãtur aduerſatiuæ; vt, etſi eſt bonus, non tamen omnino, & alię ſimiles; ſimiliter rationales, & cauſſales ad eundem reuocari poſſunt. Alij addunt, cauſſalem, in qua coniũctio eſt cauſſalis, quia, q̃m, & alię generis eiuſdẽ; vt, quia ignis eſt, fumus eſt. Alij denique addunt rationalem, ſiue illatiuam, in qua partes iunguntur nota illatiua, ergo, igitur; vt, ignis eſt leuis, igitur aſcẽdit. Qui tres faciũt ſpecies, reuocant duas poſteriores ad conditionalem, ac etiam enũciationes tẽporales, vt eſt hęc, quando ſol lucet, dies eſt, & locales; vt, vbi ſol lucet, dies eſt, & harũ ſimiles:

Quibus

Quibus cum vixeris, eorum mores imi aberis: Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem testa diu. Qui vero non ponũt rationalem, eam ad copulatiuam reuocant, quia quantũ ad veritatẽ, & falsitatem non differunt: ad q̃ etiã reuocant oẽs eas in quibus est aliquod aduerbiũ loci, tẽporis, coniunctiones aduersatiuæ, relatiuæ, & aliæ.

Quod vero attinet ad horum qualitatẽ essentialem, quam diximus affirmatione, & negatione contineri, affirmatio & negatio in his spectãtur in coniunctione, & ita illa erit affirmata, cuius coniunctio est affirmata, siue prædicata simplicium quas continent affirmentur, siue negentur, vt est ista; si sol non lucet, nõ est dies: illa negata cuius coniunctio erit negata; vt, nõ si sol nõ lucet, nox non est: non si sol lucet, nox est. Idẽ de alijs dicas; quæ omnes fiunt negatiuæ præposita negatione initio enunciationis. Quare, connexa enunciatio dicitur negata, vel affirmata ex ipsa coniunctione, siue nota. Cęterum, negatio in caussali, & conditionali, non negat ipsas propositiones, sed earum vnionem: at in copulatiua, & disiunctiua negat vtrũque; vt homo currit, & non homo mouetur: non homo currit, vel mouetur.

Quo loco animaduertendum est, conditionalẽ posse constare ex duabus simplicibus, vel pluribus; vt, si sol lucet, & in nostro hemispherio lucet, dies est, & apud nos est; verum semper duæ sunt præcipuæ partes, quarum vna antecedens, altera consequens dicitur. Quæ constat ex duabus, aut vtranque habet affirmantem, aut vtranque negantem, aut vnam affirmantem, alteram negantem; vt si sol lucet, dies est: si sol nõ lucet, non est dies; si dies est, non est nox: Quæ varietas in alijs etiam notari potest.

De alijs accidentibus enunciationis coniunctæ. Cap. XV.

Explicata essentiali enũciationis cõiunctæ qualitate, restat vt de alijs qualitatibus dicam⁹: de quibus breuiter agemus, ea solum attingendo, quæ aliquid vtilitatis habent.

Quod igitur ad veritatem attinet, copulatiua vera est ea, cuius ambæ partes simplices sunt veræ; falsa cuius ambæ partes, vel vna tantum falsa est: exemplis supersedeo, quia quisque ea facile fingeret. Disiũctiua vera, cuius omnes partes ita se habent, vt vna sit necessario vera, altera falsa; vt Petrus stat, vel nõ stat. Falsa cuius omnes partes falsæ; vt, vel homo est lapis, vel est insensibilis, aut vtraque potest esse vera; vt, vel homo est animal, vel sentiens. At vero Logici recentiores dicunt disiũnctiuam esse veram, si, vel vna, vel plures vna, aut etiam omnes partes sint veræ; falsam vero nunquam, nisi omnes sint falsæ. Quod admitti potest, si loquendi modum attendamus: dicere enim solemus, aut Demosthenes fuit perfectus orator, aut Tullius, aut certe nullus.

Conditionalis vera, cuius partes habent bonã illationem, & inter illas est necessaria consequẽtia; vt, si homo est animal, est viuens, si homo volat, habet alas; conditionalis enim non requirit propositionum veritatem, quia nihil ponit, sed bonam illationem: falsa, cùm vna pars non bene infertur ex alia; vt, si homo est animal, habet quinque digitos.

Caussalis vera, cuius ambæ partes veræ, & vna necessario infertur ex alia, estque vna caussa alterius: falsa erit ea, cui vna ex tribus conditioni-

bus

bus deerit: vnde ista erit vera, quia homo est rationalis, est risiuus: & ista, quia ignis est leuis, ascendit: hę vero falsæ, quia homo est animal, est etiam lapis, quia ignis est calidus tendit sursum, quia ignis tendit sursum, est leuis, nam tendere sursum, non est caussa leuitatis, sed contra.

Illatiua vera, cuius partes sunt verę, & vna sequitur ex alia; vt, homo est animal, ergo est sentiens: falsa cuius partes falsæ, vel vna non infertur ex alia. Quod autem aliqui de conditionalibus dicunt; omnes conditionales veras, esse necessarias, & omnes falsas impossibiles, quibusdã non placet: quia non modo conditionales ex futuris contingentibus, sunt probabiles, ut si studebis, sapiens fies, sed etiam ex præsenti; vt, si mater est, filium diligit; quæ putatur vera, sed potest esse falsa.

Quod attinet ad alia accidentia ex parte materiæ sumpta, copulatiua, & rationalis est necessaria, cuius omnes partes sunt necessariæ: cõtingens, cuius ambæ partes contingentes, quæ tamen simul esse possunt, aut vna tantum contingens: impossibilis, cuius, omnes, vel vna pars impossibilis, vel si vtraque, est contingens, non tamen compossibilis, vt homo stat, & sedet. Disiũctiua necessaria; cuius partes sunt incompossibiles, siue sint necessarię, siue nõ; vt vel homo quiescit, vel mouetur: aut illa, cuius omnes partes, aut vna est necessaria, vt Petrus est homo, aut nõ est lignum. Contingens, cuius vtraque contingens, & compossibilis, vel cuius vna contingens: impossibilis cuius vtraq; impossibilis; vt, vel Leo non est animal, vel non rugit; vel etiam vtraque necessaria, sed illæ in quibus vtraque est necessaria sunt ridiculæ, ac proinde formandæ nõ sunt; quãuis sint verę. Caussalis necessaria, cuius par-

tes necessariæ, & vna necessario sequitur ex alia; vt quia ignis est leuis, sursum mouetur: contingens, cuius partes sunt contingentes, vel vna ex alia contingenter sequitur; vt quia homo audit lectiones, euadet doctus: impossibilis, cum partes sunt impossibiles, vel vna ex alia sequi nō potest; vt quia lapis est, sentit. Conditionalis necessaria, quæ illationem necessariam, contingens, quæ contingentem, impossibilis, quæ impossibilem habet.

Quo loco animaduertendum est, de negatiuis quantum ad veritatem, necessitatem, contingentiam, & possibilitatem iudicandum esse ex affirmatiuis: nā, si affirmatiua est vera, negatiua erit falsa: si affirmatiua est necessaria, negatiua erit impossibilis.

Quod attinet ad quantitatem, enunciationes coniunctæ eam non habent, cum non enuncient aliquid de aliquo, aut de aliquibus, sed solū enunciationes coniungunt.

De alijs vero accidentibus, vt de oppositione,
Boet. & æquipollentia, quæ aliquo modo in illis reperiuntur, quæ a quibusdam, potius subtiliter quā vtiliter dicuntur, nos missa facimus, ne tyronū, sine vtilitate, ingenia fatigemus: Illud tamen dixerim, in hoc enunciationum genere solam oppositionem contradictoriam formaliter reperiri: quia enunciationes formaliter contrariæ debent esse vniuersales, & subcontrariæ particulares: at enunciationes coniunctæ, vt diximus, non sunt formaliter vniuersales, vel particulares; at vero oppositio contradictoria solam præpositam negationem requirit. Aliæ vero oppositiones, non nisi potestate; in coniunctis reperiuntur, quatenus ex coniuncta, colligi potest propositio vniuersalis; vt ex hac copulatiua, Petrus est homo, &

& Franciſcus eſt homo; colligitur iſta, vterque eſt homo: & ex hac conditionali, ſi homo currit, mouetur, hæc, omne currens mouetur. Et quia præpoſita negatione vniuerſales fiunt particulares, & contra, ideo inueniri poſsunt aliquo modo aliæ oppoſitionis ſpecies, quas nos miſsas facimus: vnum tamen ſubijciemus exemplum in enunciatione conditionali ex ſimplicibus ſingularibus.

Si Petrus eſt homo Petrus eſt animal,	Si Petrus eſt homo, Petrus non eſt animal,
Non ſi Petrus eſt homo Petrus non eſt animal,	Non ſi Petrus eſt homo Petrus eſt animal,

Quod vero attinet ad æquipollentiam, ſola copulatiua æquipollet diſiunctiuæ, vt in hoc patet exemplo, & Petrus eſt albus, & Franciſcus eſt albus, æquipollet huic diſiunctiuæ negatæ, Nõ aut Petrus non eſt albus, aut Franciſcus nõ eſt albus; vbi copulata omnino affirmatiua, æquipollet diſiúctiuæ omninò negatæ. Sed his omiſſis, ad alias enunciationes explicandas ſtylum cõuertamus.

De enunciatione excluſiua, Cap. XVI.



Voniam vero enunciationes interdum quibuſdam particulis formantur, vt ſenſum habeant obſcurum; propterea, qui Ariſtotelem conſequuti ſunt Logici, multas obſeruarunt enũciationes dubias, quæ aliqua expoſitio-

ne indigent,ac proinde exponibiles vocātur. Ex quibus nos quaſdam magis dubias explicabimus, & primum eas quæ continent particulas excluſiuas,ut ſunt, Tantum, ſolum, dumtaxat, & ſimiles.

Hæ igitur particulæ, ſi addantur ex parte prædicati, excludunt alia prædicata; vt digiti manus ſunt tantum quinque: ſi ex parte ſubiecti, excludunt alia ſubiecta; vt tantum digiti manus ſunt quinque. Vtriuſque generis excluſiuæ quattuor modis efferūtur: aut ſignum, & verbum ſunt affirmata,vt ſolus Deus eſt bonus, aut ſolū ſignū; vt ſolus homo non eſt mendax: aut vtrūque immediate negatur, vt digiti non ſunt non tantum quinque: aut ſolum ſignum immediate negatur; vt digiti ſunt non tantum duo. Sed quia duo poſteriores modi non ſunt in communi vſu loquēdi, ideo omittendi ſunt. ijſdem formis variatur enunciatio, cum exceptio ponitur ex parte ſubiecti,qui omnes ſunt in vſu.

Prima propoſitio prioris modi, nimirum affirmatiua ex vtroque, ſic explicatur, Digiti ſunt tātum quinque, id eſt ſunt quinque, & non plures quam quinque: ſecunda, cum verbum immediate negatur, hoc modo exponitur; digiti non ſunt tantum quattuor, id eſt non ſunt quattuor, vel ſunt plures, quam quattuor: Homo non eſt tantū animal, id eſt homo nō eſt animal, vel eſt aliquid aliud vltra animal. Vbi nota, in exponendis negatiuis, non eſt ſatis dicere, eſt aliquid aliud, ſed oportet, vt præcedat exponēs negatiua; alias poſſet eſſe expoſitio falſa: vt in hoc patet exemplo, Hic liber non eſt tantum animal, non dices, eſt aliquid vltra animal, ſed dicendum eſt, non eſt animal, vel eſt aliquid aliud vltra animal. Poſterioris generis excluſiuæ ſic explicantur. Prima

hoc

hoc modo, Tantum homo eſt rationalis; id eſt homo eſt rationalis, & nihil præter hominem eſt rationale. Secunda hoc pacto, Tantum ſubſtantia non eſt in ſubiecto, id eſt ſubſtantia nõ eſt in ſubiecto, & quidquid non eſt ſubſtãtia eſt in ſubiecto. Tertia hunc in modum, Non ſolum animal non eſt ſenſus capax, ideſt omne animal eſt ſenſus capax, vel aliquod quod non eſt animal, non eſt ſenſus capax. Quarta hac ratione Non ſolum homo eſt viuens, id eſt nullus homo eſt viuens, vel aliquid non homo eſt viuens. Quo loco illud adnotauerim, ſingulas excluſiuas exponi p duas enunciationes hypotheticas, quarum duæ priores ſunt copulatiuæ, poſteriores diſiunctiuæ: quæ cuiuſmodi ſint, quiſque in allatis exemplis facile animaduerteret, vt vltima diſiũctiuæ per vniuerſalem negatiuam, & particularem affirmatiuam.

Rurſus illud adnotauerim, excluſiuas ex parte ſubiecti, non excludere ea quæ ſubiectum excluſiue neceſſario conſequuntur; vt cum dicitur, Tantum canis latrare poteſt, non excludo animal, & cętera prædicata quæ de cane neceſſario dicuntur, quaſi illa latrare non poſſint, ſed excluditur quidquid non eſt canis: nam animal, & viuens latrare poteſt. In hoc excluſiuarum genere poteſt eſſe oppoſitio, vt in hac deſcriptione patet.

Tantum animal eſt viuens hoc eſt, Animal eſt viuẽs, & nihil quod nõ eſt animal eſt viuens.	Tantum animal non eſt viuens, hoc eſt, Aĩal non eſt viuẽs, & Omne qđ nõ eſt animal eſt viuens.

Non

Non tantum animal non est viuẽs; hoc est,	Non tantum animal est viuens; hoc est,
Omne animal est vivẽs, vel Aliquid quod non est animal non est viuẽs.	Nullũ animal est viuens, vel Aliquid quod non est animal est viuens.

Ubi nota, dictiones illas, Igne, tonans, malos, pdit, habere uocales designantes quantitatem & qualitatem exponentium.

De enunciationibus exceptiuis.

Cap. XVII.



Nũciatio, exceptiua dicitur ea quæ particula cõstat exceptiua; vt sunt Præter. præterquam, & quæ illum habent similem. Hoc signum fere semper excipit subiectum a participatione predicati; vt omne animal præter hominem est rationis expers: omnia sunt facienda, præter mala.

Vt autem bona fiat exceptiua, oportet, vt id a quo fit exceptio, vere affirmetur de re excepta. Rursus, licet id a quo fit exceptio possit notari signo particulari: tamen, exceptionis natura postulat, vt notetur signo vniuersali, ita vt res excepta sit inferior.

Exceptiuarum quattuor sunt formę iuxta affirmationem & negationem. Prima in qua signũ & verbum affirmantur: secunda, in qua solum signum negatur: tertia in qua vtrunque negatur: quarta, in qua solum signum negatur, vt in sequen i

quenti patebit deſcriptione, vbi etiam earum oppoſitio, & expoſitio cernitur.

Subalternans.	*Subalternans.*
Omne animal præter hominem eſt irrationale; hoc eſt,	Omne animal prçter hominẽ nõ eſt irrationale; hoc eſt,
Ca ute Oẽ animal, qđ nõ eſt homo eſt irrat. & Null⁹ homo eſt irrat.	Ce das Nullum animal quod non eſt homo eſt irrat. & Omnis homo eſt irrat.

Contrariæ.


Contra dictoriæ. Contra dictoriæ.

Subcontrariæ.

Non omne animal p̄ter hominẽ nõ eſt irration. hoc eſt,	Non omne animal p̄ter hominem eſt irration. hoc eſt,
Pri ſeo. Aliquod animal, quod nõ eſt homo eſt irration. vel Aliquis homo non eſt irrat.	Mo ri. Aliquod animal, qđ non eſt homo non eſt irrat. vel Aliquis homo eſt irration.

In qua deſcriptione facile cerneres, quo propoſitionum genere ſingulæ exponantur.

De reduplicatiuis. Cap. XVIII.



INueniuntur enunciationes quædá in quibus est aliqua particula, quæ vim habet geminandi, vel superponendi aliquid supra terminum præcedentem, quas Reduplicatiuas vocant; vt homo, quatenus homo est risiuus: Particula autem illa, cuius vi fit geminatio, vel superpositio dicitur Reduplicatiua; cuiusmodi sunt istæ, Quatenus, Qua, qua ratione, vt, & similes. Quæ dictiones duobus accipiuntur modis: primo specificatiue, cum designant in subiectis rationem aliquam secũdum quam, vel cum qua eis conueniunt prædicata; vt si dicas, Sapor, vt sapor est obiectum gustatus. Ad quod genus reuocantur illæ reduplicatiuæ, in quibus significatur conditio sine qua nõ; vt, ignis, vt prope est, calefacit. Secundo modo reduplicatiue, cum designãt caussam, cur aliquid insit subiecto; vt, homo, vt rationalis est risiuus; ignis, vt leuis ascendit, id est caussa cur homo sit risiuus est, quia rationalis, & cur ignis ascendat hæc est, quia est leuis. Et quidem hic secũdus modus est magis proprius, sub quo quattuor continentur formæ iuxta negationem, & affirmationem; quæ perspicuæ exponuntur, si loco particulæ reduplicatiuæ ponatur particula caussalis, Quia.

Prima forma, in qua particula, & verbum affirmantur; vt homo, vt rationalis est risiuus, id est homo, quia est rationalis, est risiuus: secunda, cum sola particula affirmatur; vt, homo, vt rationalis non est risiuus, id est, non quia rationalis est risiuus. Tertia cum vtrunque negatur; vt, homo non vt rationalis non est risiuus, id est, non quia homo est rationalis, risiuus nõ est. Quarta, cum

ſola reduplicatio negatur; vt homo non vt rationalis eſt riſiuus, ideſt non, quia homo eſt rationalis, eſt riſiuus. Reduplicatiua quæ ſtat ſpecificatiue reſoluitur aliquo vocabulo clariori; vt, homo, vt homo eſt ſpecies, ideſt homo vniuerſe ſumptus: ens, ut ens, eſt obiectum Metaphyſicæ, ideſt ens communiter acceptum, ſine vlla limitatione.

Qua ratione propoſitiones quæ comparatione, & ſuperlatione conſtant, & quædam alia verba exponantur.
Cap. XIX.



Ropoſitio quæ comparationem cõtinet, ſi comparatio ſit bona & affirmatiua, ſic exponitur; Homo eſt prudentior formica, ideſt homo eſt prudens, & formica eſt prudens, & homo eſt magis prudens: at negatiua hoc modo, Formica non eſt prudẽtior homine, ideſt uel formica non eſt prudens, & homo eſt prudens: vel ſi eſt prudens, non eſt magis prudens, quam homo. At uero ſi comparatio ſit abuſiua, ut cum minus malum dicitur melius, poſitiuum adhiberi non poteſt, quia minus malum non eſt bonum. Propoſitio ſuperlatiua, ſi ſuperlatiuum ſtet poſitiue, ſic exponitur, Tullius fuit eloquentiſſimus Latinorum, ideſt fuit Latinus, & quocunque Latino eloquentior: ſi uero ſtet negatiue, hoc modo, Tullius fuit Latinus, & nullus Latinus fuit eo eloquentior.


Propoſitiones quę conſtant his terminis categorematicis, Differt, Aliud, & diuerſum, ſi ſint

affirmatæ, sic exponuntur. Equus differt, vel est alius a leone, idest equus est, & leo est, & equus non est leo: si negatæ hoc modo, equus non differt a leone, idest homo non est, vel equus non est, vel equus est leo.

Verbum Incipit, si iungatur cum termino significanti substantiam, & rem cuius esse in vnico instāti acquiritur, vt canis incipit esse, sic exponitur; canis nunc est, & immediate ante non fuit. Quando vero iungitur cum termino significanti rem cuius esse consistit in successione, vel successiue acquiritur, vt calor incipit esse, sic exponitur; calor non est, sed immediate post erit. Si vero erit propositio negata, sic exponetur, calor non incipit esse, idest, nunc non est, vel immediate post non erit.

At verbum Desinit, iūctum cum terminis prioris ordinis, vt equus desinit esse, sic exponitur; equus est, & immediate post non erit. At vero cum iungitur cum terminis posterioris ordinis hoc modo, calor desinit, idest, non est, & immediate ante fuit. Negatiua disiunctiue contrario modo exponenda est, vt in alijs. Verum veritas istarum propositionum, & earum caussæ pendent ex ijs quæ disputantur in Physicis.

Explicantur distinctiones quædam, quarum maior est vsus. Cap. XX.



T tyronibus multorum terminorū, quibus Logici passim vtuntur, ac ēt obscurarum propositionum necessaria est intelligentia; ita etiam nōnullarum distinctionum, quæ sæpissime vsurpātur, & ad multas dubitationes explican-

plicandas conferunt; vt inter alias sunt hæ, quas nunc recensebo, & explanabo.

Prima, necessarium dicitur aliquid dupliciter: primo absolute, vt Deum esse, hominem esse animal rationale, duo & tria efficere quinque: altero, ex suppositione, hoc est, supposito aliquo, aliud necessario dãdum est; vt supposito igne, necesse est calorem esse; supposito peccato, necessaria est pœnitentia: quod dicitur necessarium ex caussa; & si caussa sit finalis, subdiuiditur in necessarium simpliciter; vt posito homine debere salutem consequi, necessaria est mandatorũ obseruatio: supposito hominem ægrotum velle sanari, necessaria est medicina: & in necessarium secundum quid, quod vtile, & ad bene esse vocatur; vt volenti Romam ire, necessarius, siue vtilis est equus.

Secunda, prius dicitur aliquid quinque modis. Primo generatione, & ita pater est prior filio. Secundo dignitate, vel perfectione; quo modo substantia est prior accidente. Tertio natura, cũ aliqua ita se habent, vt licet sint simul; vnum tamen pendet ab alio; quo modo caussa est prior effectu, vt prior est Sol, quam illuminatio, & hominem esse rationalem, quam esse risiuum. Quarto, tempore, vt vna lectio, quam alia, & ædificator, quã ædificium. Quincto, intentione; vt, finis, quam media, & totum, quam partes. Sexto, exequutione, & sic priora sunt media, quam finis, & pars quam totum.

Tertia notum, vel ignotum, prius & posterius dicitur aliquid dupliciter, secundum nos, & secundum naturam. Notum secundum nos est id, quod patet sensibus, quod prius a nobis cognoscitur; & ita notius est totum, quam eius principia; & effectus, quam caussa, & accidens quã sub- 1. Poster. c. 2. 1. Physic. t. 2. & 3.

ſtantia; quæ dicuntur notiora ſecundum naturã, cum ſint priora, & independentia ab alio: Quare principia, cauſſæ, & ſubſtantia dicuntur nota ſecundum naturam. Rurſus alia dicuntur nota ſecundum ſenſum, vt ſingularia, alia ſecũdum intellectum, vt vniuerſalia. Hinc duplex ordo, doctrinæ, quo incipimus a notioribus & facilioribus; & naturæ, cum incipimus ab ijs quæ re ſunt priora.

1. Phyſic. tex. 49.

Quarta, aliquid conſideratur dupliciter, materialiter, & formaliter; verbi gratia, album materialiter dicit corpus, formaliter dicit albedinẽ: peccatum materialiter dicit actum & operationem, formaliter dicit irrectitudinem, vel receſſum a ratione: cœcum, materialiter, dicit animal carens aſpectu, formaliter dicit priuationem facultatis videndi. Similiter priuatio formaliter dicit negationem formæ, materialiter ſubiectum aptum ad illam recipiendam; vt immuſicum abſentiam muſicæ, in hoĩe apto ad habẽdã muſicã.

1. Phyſic. tex. 60.

Quincta, aliqua diſtinguuntur dupliciter, re & ratione: illa diſtinguuntur re, quæ a parte rei non ſunt idem, & inter ſe ſeparantur, vt Petrus & Paulus, & quæcunque indiuidua, quæ ſuppoſito diſtingui dicuntur; vel certe ſeparari poſſunt, tanquam duæ entitates; vt ſubſtantia & quantitas, qualitas & quantitas: illa ratione, quæ a parte rei ſunt vnum & idẽ, ſed habent rationes, hoc eſt definitiones & naturas diuerſas; vt lignum & eius figura; quantum, & relatio maioris & minoris: homo ſedens, & homo ſtans; qui ratione inter ſe differunt. Quę diſtinctio ſolet etiam vocari materialis, & formalis: & ita illa materialiter ſunt, vel non ſunt idem, quæ re ſunt, vel nõ ſunt idem: illa formaliter, quæ ratione, idem vel nõ idem ſunt.

Sexta, aliquid continet, vel est aliquid tripliciter: primo formaliter, quia habet aliquam formã actu secũdum quam est, vel agit; quo modo ignis dicitur formaliter calidus: secundo virtualiter; qua ratione piper dicitur calidum, quia in se habet vim, qua possit calefacere: tertio eminenter, quo modo anima sensitiua continet vegetatiuã, & aurum continet argentum.

Septima, quæ in Logica sæpe est vsui, aliquid consideratur dupliciter, vno modo primo intentionaliter, hoc est, vt res quædam est, & vt ei attribuuntur proprietates reales; vt si consideretur animal, vt est substantia sensitiua, & vt nominatur nominibus primæ impositionis: altero modo secundo intentionaliter, vt ei conueniunt attributiones rationis, & secundæ intentiones; vt si idem animal consideretur, vt est genus, vt est vniuersale, prædicabile, & quid superius, vel inferius, & vt nominatur nominibus secundæ impositionis.

Octaua, aliquid dicitur esse in aliquo, vel subiectiue, hoc est tanquam in subiecto; vt accidens in substantia, & potentia in anima: vel obiectiue, tanquam res cognita in cognoscente, & obiectũ in potentia; vt res intellecta in intellectu, & res perspecta in oculo; & vniuerse quæcunque res, quæ terminat actum potentiæ: vel etiam vtroq; modo; vt si intellectus, intelligeret se, vel habitum quo intelligit, qui obiectiue, vt intelligitur, & subiectiue, prout inhæret, diceretur esse in intellectu.

Nona, aliquid dicitur considerari, vel per se, vel per accidens: illud per se cõsideratur, vel tractatur, quod ex propria intentione, & sui caussa cognoscitur; vt in Logica instrumenta sciendi: id vero per accidens, quod gratia alterius tantum,


ſicuti voces & termini vocales in Logica, qui nō per ſe, ſed vt per eos diriguntur operationes intellectus, tractantur.

Decima, aliquid eſt cauſſa, vel principium alterius, vt quo, & vt quod. Principium, vt quod alicuius effectus, eſt ipſum agens, & ſuppoſitum: vt quo eſt forma, ſeu inſtrumentum per quod agit: verbi gratia, ignis vt quod, comburit; calor vt quo: vtrunque enim dicitur comburere, ſed diuerſa ratione; vnum vt quod, alterum vt quo. Similiter homo ſcribit, vt quod, calamus, vel manus, vt quo.

Vndecima, aliquid eſt cauſſa alicuius effectus; vel per ſe, vel per accidens: illud eſt cauſſa per ſe quod quatenus tale agit; vt medicus per ſe ſanat; per accidens, vt non tale, quo modo medicus edificat, & ſanatur, quia nō ſanatur vt medicus, ſed vt ægrotus.

Duodecima, aliquid dicitur ſimpliciter tale, vt eſt illud, quod ſecundum totum eſt tale: aliud ſecundum quid tale, hoc eſt ſecundum partem; quo modo Ethyops dicitur albus ſecundūm dentes. Atque has paucas & magis vſitatas diſtinctiones nunc explicaſſe ſufficiat; aliæ quotidiano vſu cognoſcendæ erunt.

De diuiſione, quid & quotuplex ſit. Cap. XXI.



Iuiſio quæ eſt quoddam inſtrumentum ſciendi, confert ad dirigēdam ſecundam intellectus operationē; ac proinde de ea in hoc libro, ī quo de ſecunda operatione dirigēda doctrinam tradimus, agendum fuit.

Est autem Diuisio, Oratio ĩ qua totum in suas partes distribuitur; vt, scientia, alia cognitionis, alia actionis. In qua oratione duo spectantur; id quod diuiditur, & hoc dicitur diuisum: & partes in quas diuiditur, & hæc membra diuidentia vocantur. Boet. libr. de diu.

Diuisio duplex est, vna nominis, qua nomen in varias significationes distribuit, quæ propriè Distinctio nominatur; ad quam reuocatur diuisio orationis ambiguæ in suos sensus; vt, litus aras, idest, vel terram proicindis, vel operam perdis: Te fratrem amare Lętor, vel quod tu Fratrẽ, vel frater te amet: Altera rei, quæ est oratio qua rem in suas partes distribuimus, cuius variç sunt species, quæ a varijs variç numerari solent.

Prima, est diuisio totius vniuersalis in partes quas vocãt subiectiuas, de quib⁹ dicitur: quo modo genus diuiditur ĩ species; vt animalium, aliud rationis capax, aliud rationis expers. Huc reuocares diuisiones specierum in indiuidua, differentiarum in species, & analogi in analogata, qualis est hæc, Accidentium, aliud quantitas, aliud qualitas, aliud relatio: & hæc, Principium, aliud viç, aliud motus, aliud temporis. Illud analogum qđ diuiditur, debet esse huiusmodi, vt eius nomen simpliciter pro omnibus membris vsurpetur, vt patet in allatis exemplis. Nam si esset tale analogum, vt ei s nomen absolute positum pro præcipuo analogato præcise sumeretur, vt homo respectu viui, & picti, diuidi non poterit in membra analogica: Nec enim diuideres Hominem, in verum, & pictum. 5. Metap.

Secũda, est diuisio totius in partes essentiales: quæ duplex est, vna physica, qua totum essentiale diuiditur in materiam & formam; vt homo in corpus & animam; ad quã reuocares diuisio-

nem compositi accidentalis in subiectum, & accidens, vt statuæ, alia pars æs, alia figura, & diuisionem quanti continui in partes diuisibiles, & indiuisibiles; quia illæ sunt veluti materiæ, hæ quasi forma; vt si linea in palmos & in puncta, quibus palmi vniuntur, diuideretur: Altera metaphysica, in genus & differentiam, quæ diuisio secundum rationem dici solet; quia nō fit in partes re, sed sola ratione distinctas; quo modo homo diuiditur in animal, & in rationale. Ad hanc reuocares diuisionem indiuidui, quod Aristotel. vocat totum, in speciem & differentiam indiuiduantem; vt si Plato diuidatur in hominem, & in eam differentiam, siue notam, qua ab alijs distinguebatur; vt quod haberet latera dilatata.

7.Met.10. & libr. 1. tex.33.

Tertia diuisio, totius integralis, seu quanti in suas partes integrales, quibus aliqua magnitudo, aut multitudo est extēsa; vt humani corporis alia pars caput, alia pectus, alia pedes. Partium autē aliç sunt eiusdē rationis, vt partes aquç, & quantitatis cōtinuæ: aliæ diuersæ rationis, vt animalis partes, ossa, nerui, caput, pedes. Hanc diuisionis speciem, aliqui Partitionem vocant. Ad hanc reuocatur diuisio totius potestate, seu virtute, in suas vires, & potentias, quæ ab Aristotele partes vocari solent; vt, animi, alia pars qua intelligit, alia qua cupit.

Lib. 3. de Ani.t.1.

Aliqui distinguentes totum Physicum a Metaphysico, quinque faciūt diuisionis species, quarum hæc redditur ratio. Nam quod diuiditur, aut est vox quæ multas habet significationes, & sensus; aut res, quæ vel habet partes cōstitutiuas reales, vel rationales, vel integrantes, vel subiectas. His diuisionibus addunt aliqui diuisionem causſç in suos effectus; vt nautarum, alij temonem regunt, alii malos scandunt, alij remos vrgent: Et

diui-

diuisionem effectus in caussas; vt animaliũ caussa, alia est sol, alia generans.

Illis quinque speciebus diuisionis per se, respõdent quinque modi diuisionis accidentalis; qui fiunt, cum membra diuidentia sunt accidentia; vt si animal diuideretur in album, & nigrum; vt, animalis alia pars calida, alia frigida: Totum autem vniuersale tribus modis diuiditur per accidens: aut enim diuiditur subiectum in accidẽtia; vt cum membra diuidentia accidunt partibus subiectis diuisi; vt hominum, alius doctus, alius indoctus: animalium, aliud garrit, aliud crocitat, aliud coaxat: Aut accidens in subiecta; vt, alborũ, aliud cygnus, aliud nix, aliud lac: eorũ quę mouentur, aliud cœlum, aliud elementum, aliud mistum. Aut accidens in accidentia; vt alborũ aliud dulce, aliud flauum, aliud nigrũ; vbi, albũ, quod est accidens, in alia diuiditur accidentia. Diuisio generis in differentias vniuersales, reuocari potest ad diuisionem totius essentialis in partes subiectas, quæ per differentias constituuntur. Quo etiam reuocares diuisionem communium differẽtiarum in minus communes. Et quod dictum est de diuisione generis in differentias, & differẽtiæ communis in minus cõmunes, intellige etiã de diuisione differentiæ communis, in differentias indiuiduas. Est autem diuisio generis in differentias valde vtilis, tum ad species cognoscendas, tum ad definitiones conficiendas: sed cũ differentię essentiales rarius occurrant, ad diuisiones accidentales confugimus; vt cum dicimus, animaliũ aliud volat, aliud serpit, aliud graditur. Sed iam quæ ad bene diuidendũ necessaria sunt præcepta ea ostendamus.

Diuisionis recte faciendæ hæc potissimũ traduntur præcepta. Primum, vt mẽbra singula mi- 2. Poster. 5.

nus contineant, quam diuisum, & vt simul sumpta sint diuiso æqualia; vnde, ratione primæ partis huius præcepti hæc diuisio non est bona; animalium aliud est sensu præditum, aliud ratione: quia primum membrum, idem continet ac animal: ratione secundæ hæc alia; animalium, aliud bestia, aliud homo, aliud Angelus, cum membra simul sumpta sint diuiso maiora. Secundum, diuisio facienda est in membra proxima, nō in remota: vnde hæc non est bona; viuens, aliud homo, aliud bestia, aliud planta, quia dātur alia mēbra viciniora, animal, & planta: quę sub viuente immediate ponuntur, quæ postea subdiuidenda sunt in alia; vt animal in hominem, & bestiam, & planta, in herbam, fruticem, & arborem; verū, cum proxima membra latent, remota sumimus, Tertium, quantum fieri potest, membra sint positiua, non negatiua, quia membrum negans, siue negatio, non est differentia, siue pars diuisi, vt irrationale animalis. Dixi, quantum fieri potest, quia interdum per negationem diuidere necesse est; vt cum partes, siue membra sunt multa, quæ non sine obscuritate, & confusione numerarentur: tūc enim vna pars nomine positiuo, alię omnes negatiuo explicandæ sunt; vt animaliū, aliud rationale, aliud irrationale; postea membra subdiuidenda erunt. Poterunt etiam nonnulla mēbra numerari, & cętera communi nomine comprehendi; vt figurarum rectilinearum, alia triū, alia quattuor, alia quinque, alia plurium laterū. Quartum, vt vnum membrum non contineatur sub alio; vnde hæc diuisio non est bona, animaliū aliud bipes, aliud rationale, quia hoc sub illo cōtinetur membro.

6. Top. ca. 3.

Libri Tertij Finis.


IN-

INTRODVCTIONIS IN LOGICAM,

LIBER QVARTVS.

In quo de ijs rebus agitur, quæ ad tertiam intellectus operationem dirigendam pertinent.

Quid & quotuplex sit consequentia. Cap. I.



QVoniam igitur ex tribus operationibus intellectus hactenus duas expliquimus; atque quo modo dirigendæ sint docuimus; consequens est, vt ad tertiam, quæ nomine argumentationis potissimum designatur, accedamus. Et quoniam argumentatio, vt statim docebo, constat ex materia & forma, hoc libro de forma eiusque speciebus quas habet ratione formæ; consequēti vero de materia agam. Verum, cum argumentatio includat in se consequentiam, quæ latius patet, ideo ab ea auspicandum est.

Consequentia igitur, nihil aliud est, quàm oratio in qua ex aliquo aliquid colligitur; vt omnis canis latrat: ergo aliquis canis latrat. Id ex quo colligitur, dicitur Antecedens: quod colligitur, Consequens; particula vero qua colligitur, Nota illationis.

Sunt autem consequētiarum modi quattuor; primus, cū vna enunciatio ex seipsa, vel sua equi-

ualente colligitur;vt,homo est animal, ergo homo est animal: & omnis homo est animal, ergo non quidam homo est animal.Secundus,cum ex vniuersali colligitur particularis,vt omnis homo currit,ergo aliquis homo currit.Tertius,cum ex conuertente infertur conuersa;vt, nullus homo est Leo,ergo nullus Leo est homo. Quartus, cũ antecedens, & consequens non ijsdem præcise verbis constant, vt in superioribus modis, sed in antecedente continetur argumentum aliquod, quod non est in consequente, & hic modus proprie dicitur argumentatio, Quæ est oratio, in qua ex argumẽto, siue medio termino explicato,aliquid cõcluditur;cuius quattuor sunt species, Syllogismus,Enthymema,Inductio,& Exemplum, vt postea planius dicetur.Hi igitur sunt cõsequẽtiæ modi,ad quos siqui sunt alij facile reuocantur.

Richar. Perabric. Redolph. Sardol. Paul. a Perg.

Consequentia duplex est;altera bona, vt est ea in qua vnum ex alio bene colligitur; vt, currit, ergo mouetur:altera vitiosa,in qua vnum ex alio non bene colligitur, vt colligi videtur;vt,mouetur;ergo currit.Indicium bonæ consequentiæ illud est,si ex veritate antecedentis, saltem ex hypothesi data,cõsequens verum reperitur; vt,homo est auis, igitur volare potest; vbi bona est cõsequentia: hic autem mala, Petrus est homo, ergo est Logicus. Vnde colligeres, bonitatem consequentiæ non pendere ex veritate antecedentis & consequentis,sed ex ipsa illatione:cũ ex vtroque vero, possit esse consequentia vitiosa: & ex vtroque falso,bona. Cognoscitur etiã bona cõsequentia,si contradictorium consequẽtis repugnet antecedenti,vt in hac repugnat; est homo, ergo est animal:nõ est animal, igitur nec homo: hæ pugnant inter se,quia non sunt ambę verę.In hac vero non ita;est homo,ergo est Logicus:non

est

est Logicus, ergo non est homo, quia potest esse homo, & non Logicus.

Rursus, consequētia est duplex; vna formalis quę vi formę aliquid concludit in quacūque materia, etiam impossibili; vt, omne animal est sentiens, homo est animal, ergo est sentiens. Hęc eadem figura concludit in materia impossibili; vt omnis homo est lapis: leo est homo, ergo leo est lapis; vbi recte concluditur ex hypothesi. Vt autem retineatur eadem forma, necesse est, vt seruetur idem verborum ordo: eadem eorūdem acceptio: eadem essentialis qualitas: eędem coniūctiones, & nexus principalium partium consequutionis. Altera materialis, quæ vi solius materiæ concludit, quia nimirum res sunt inter se cōnexæ; vt homo est animal; ergo est sensitiuus; vbi hac sola de caussa recte cōcluditur, quia res sunt connexæ, nimirum esse sensitiuum cum animali; vnde si ista forma in dissimili vsurpetur materia, male concludetur; vt homo est animal, ergo est latrabilis: at si materia esset similis, vtique cōcluderet; vt, marmor est lapis, igit sensus expers.

Ex quattuor consequētiarum modis supra allati; primus continet consequentiam formalem. Secundus etiam, cum ex subalternante subalternata, aut ex indefinita, particularis colligitur: at cum ex subalternata colligitur subalternans, aliquando est materialis, cum genus, aut differentia, aut proprietas prædicatur de specie; vt homo est animal: igitur oīs homo est animal. Tertius habet conuersiones quæ sunt formales cōsequētiæ: at reciprocationes inter terminos cōuertibiles, vt sunt subiectum, & passio, definitum & definitio, sunt materiales. Quartus modus habet omnes consequentias formales in syllogismo, in alijs speciebus argumentationis materiales, 1. Prior. cap. 1.

exceptis

exceptis quibusdam inductionibus.

Item consequentia, alia necessaria, cuius consequens necessario infertur, ex antecedēte: alia probabilis, cum consequens non necessario, sed magna ex parte, & vt plurimum infertur ex antecedente; vt, est mater, igitur filium amat: multum seminauit, igitur multum colliget. Omnes consequentiæ formales sunt necessariæ: ex materialibus aliæ necessariæ, aliæ probabiles: vt omnis qui diligenter studet, fit doctus; igitur omnis qui fit doctus, diligenter studet.

De regulis communibus bonæ consequentiæ. Cap. II.



T bonæ consequentiæ cōmunes regulæ melius intelligantur, memoria tenenda sunt duo principia, quibus omnis bona cognoscitur consequentia, quorum primum est, Non potest esse antecedens verum, & consequēs falsum in bona consequētia: alterum, si cōtradictorium consequentis repugnat antecedenti; consequentia bona est. His positis hæ traduntur bonæ consequentiæ regulæ.

2. Prior. c.2. & 1. Post.6. Prima ex vero solū verum; verū ex vero, & falso infertur. Huius regulę prima pars primo nitit principio: posterior his declarat exēplis; est aīal, ergo est sensitiuū: homo est lapis, ergo est corpus.

Lib.8.Topic.c.4. & 5. Secunda, ex falso falsum, & verum sequitur, falsum vero non nisi ex falso concluditur. Prior pars his exemplis demonstratur, Homo est lapis, igitur sensu caret: homo est brutū, est igitur animal. Posterior pars, primo nititur principio.

1. Poster. 6. Tertia, ex necessario non infertur, nisi necessarium; necessarium autem ex quolibet, idest ex

neces-

necessario, contingenti, & impossibili. Prior pars nititur primo principio: posterior his exemplis demonstratur; Homo est animal, igitur sentiens: omnis ambulans loco mouetur: Logicus est ambulans: ergo Logicus loco mouetur: homo est lapis, igitur per se subsistit.

Quarta, ex contingenti nunquam colligitur impossibile, sed, vel necessarium, vel contingēs: contingens autem nunquam ex necessario, sed vel ex contingenti, vel ex impossibili. Prima pars fundatur primo principio, quia contingens potest esse verum, & impossibile semper est falsum: secunda patet ex superiori regula: tertia, quod ex cōtingenti, patet hoc exemplo, oīs grammaticus est albus: omnis homo & grammaticus: ergo omnis homo est albus: Quod ex impossibili, sic demonstratur: lignum loquitur, homo est lignum, ergo homo loquitur. 1. Priorū. 12. 8. Phys. 5.

Quincta, ex impossibili infert̃ quodlibet, sed impossibile non nisi ex impossibili: Quod inferatur necessarium, & contingens patet ex tertia & quarta regula: Quod inferatur impossibile, ex hac consequentia cōstat; lapis est sensitiuus, marmor est lapis, sentiens igitur: posterior pars regulæ, nititur primo principio.

Sexta, quidquid stat cum antecedente, etiā cū consequente; vt hoc est homo, ergo est animal: quidquid conuenit homini, etiam animali conueniet; & ideo quia homo est bipes, animal est bipes; hæc pars nititur primo principio: non tamē quidquid conuenit consequenti, conuenit antecedenti: animali conuenit esse expers rationis, non tamen homini. Lib. 1. de Cœl. 12. & 9. Met. 4.

Septima, quod repugnat consequenti, repugnat antecedenti, non tamen contra: prior pars nititur primo principio, quia posset dari antecedens 1. Prior. 28.

dens verum, & consequens falsum. Vnde ex
1. Priorũ. opposito cõsequentis infertur oppositum; ante-
42. & 2. cedentis; vt est leo, ergo est animal: non est ani-
Prior.2. mal, ergo nec leo: non tamen valet, non est leo,
& 4. ergo non est animal.

2. Prior. Octaua, ex quocunque sequitur antecedens,
28. & 33. sequitur etiam consequens: & quidquid ex consequente infertur, infertur etiam ex antecedente. Sit antecedens Animal, & consequens viuẽs: Si animal sequitur ex homine, etiam viuens sequetur. Si vero ex viuente, infertur corpus, idem inferetur ex animali, quod est antecedẽs. Ex hac
Cic.lib.2. de diu. & lib.2. Acad.q. regula pendet modus ille argumentandi, qui vulgo a primo ad vltimũ vocatur, græce Sorites, Latine, Coaceruualis, quia multæ coaceruantur argumẽtationes, hoc modo, si est homo est animal, si est animal est viuens, si est viuẽs est corpus: igitur, si est homo, est corpus.

Quid, & quotuplex sit argumentatio. *Cap. III.*



Rgumentatio duobus modis sumi potest: primo vniuerse, vt complectitur etiam consequẽtiam, & tres primos consequentiæ modos; quo pacto accipitur ab illis qui eam sic describunt.

1. Periherme.c. 4. Argumentatio est oratio in qua vnum ex alio consequi denotatur. Dicitur oratio, quia definitur argumentatio vocalis, cui cõuenit orationis definitio; quæ particula ponitur loco generis: dicitur, consequi denotatur, quia in hoc sita est tota vis argumentationis, nimirum in nota illa illationis, qua remota, omnino euertitur argumẽtatio: in qua sunt tria, antecedens, consequens,

&

& consequutionis nota. Vt ergo in secunda intellectus operatione, positis duobus terminis p primam apprehensis, dicimus vnum conuenire altęri, ideoque hoc affirmamus; ita in tertia, factis duabus propositionibus per secundam operationem, intellectus iudicat ex vna alteram inferri; dũmodo inter antecedens & consequens sit connexio: quæ, vel est in rebus ipsis; vt, est homo, ergo & risiuus: vel est per intellectum, quæ fit ex varia terminorum dispositione, licet non sit in rebus.

Ex quibus colligitur, cur sit vera regula illa, Ex vero non sequitur nisi verum; quia verũ non habet connexionem cum falso. Colligitur etiã, cur argumentatio vniuerse sumpta diuidatur in materialem, & formalem: illa enim oritur ex cõnexione rerum: hæc vero non solum ex rerum complexu, sed etiam ex modo colligendi, & ex varia terminorum dispositione, quæ in quacunque materia bene infert consequens.

At vero argumentatio proprie & presse sumpta, vt est consequentia quædam, quæ ex argumento aliquo, hoc est ex aliquo medio termino conficitur, sic definitur. Argumẽtatio est oratio in qua, ex argumento cum terminis quæstionis explicato, altera pars quæstionis colligitur. Argumentum autem, quod Logici medium vocãt, est inuentum ad aliquid probandum; vt, si ad ꝓbandam vnam partem huius quæstionis, sint diuitiæ expetendæ, nec ne, sumeretur hoc argumẽtum, Bonum, quod vna cũ dictæ quæstionis extremis artificiose commiscendo, argumentando explicares, hoc modo, Omne bonum est expetẽdũ: diuitiæ bonæ, expetendę igitur. quod si alterã partem velles concludere, sume hoc argumentum, Noxium, & illud explicando dic, Nullum

Cic. in part.

noxium

noxium est expetendum diuitiæ noxiæ; non igitur expetendæ. Ex quibus intelligeres, cur aliqui argumentationem definiendo dixerint, esse argumēti explicationem, idest artificiosam tractationem vna cum terminis quæstionis. Est autem dicta argumentatio, ab argumento, quod est mētis ratio. Ideo autem medium, quod in argumētatione ponitur, dicitur argumentū, quia arguit, hoc est demonstrat, & quia in eo est totum argumentationis robur: quo quę carent consequentiæ, argumentationes dici non debent, sicut nec illæ quæ constant ex medio falso, vel quæ sunt falsæ, sed tantum illæ quę habent antecedēs probabile, aut necessariū. Ex quibus intelligi licet, ad argumentationem conficiendam duo esse necessaria, Inuentionem, & Iudicium; illa inuenit argumentum, hoc applicat ad quæstionem. Nec propterea in Logica prius agendum est de inuētione, quam de iudicio: cum argumentatio quæ consistit in forma, sine doctrina de medio tradi possit, sitque communis omni materię, pro cuius varietate varia inuenienda sunt media, præsertim topica. Sed iam de speciebus argumentationis agamus.

2. Prior. 23. 1. Top. 10 Argumentatio, ab Aristotele interdū in quattuor species diuiditur, quæ sunt, Exemplum, Inductio, Enthymema, & Syllogismus. Exemplum est oratio in qua ex vno, vel pluribus singularibus ob similitudinē aliud singulare infertur. Vt Deus pepercit Petro pœnitentiam agenti: ergo etiam mihi peccatori parcet, si pœnitentiam egero. Dixi, vno vel pluribus, quia non est necesse, vt in exemplo plura singularia numerentur. Dixi, ob similitudinem, quia in ea tota vis exempli posita est. Inductio est oratio in qua ex inferioribus sufficienter numeratis, superius, & vniuersale

fa!e colligitur; vt, terra est elementum simplex, aqua etiam, & aer, & ignis: igitur omne elementum est simplex. Dixi sufficienter enumeratis; quia si enumeratio non sit sufficiẽs, falsum fieret argumentum; vt si diceres, terra est frigida, item & aqua; ergo omne elementum frigidum. ᵛeruã da est igitur hæc regula in inductione, vt omnia inferiora numerent. Enthymema est oratio, in qua nõ omnibus propositionibus positis, festinata deducitur conclusio. Est enim enthymema truncatus quidam syllogismus, cui si vna addat propositio, integer fieret; vt, omnis virtus est expetenda: igitur iustitia est expetenda: fiet perfectus, si addas, iustitia est virtus. Syllogismus, Latine ratiocinatio, est oratio in qua quibusdam positis aliud necessario sequitur per ea quæ posita sunt. Dicitur oratio, quia est species argumentationis, quæ oratio quædam est: dicitur, quibusdam, idest aliquibus propositionibus, & saltem duabus: dicitur, positis, idest dispositis, siue concessis: dicitur necessario, quia conclusio in syllogismo necessario sequitur ex premissis dispositis: dicitur, aliud, quia conclusio est distincta a præmissis: dicitur, per ea, &c. vt excludantur argumentationes materiales, in quibus conclusio nõ sequitur ex vi præmissarum, sed ex connexione materiæ: vt, oĩs virtus est laudãda: fortitudo est virtus: laudanda igitur. Solet etiam Aristoteles interdum argumentationem diuidere in syllogismum, & inductionẽ, quia enthymema est imperfectus syllogismus, & exemplum imperfecta quædam inductio. Boet. 1. Prior. c.1. Libr. 1. Rhet. c.2.

Est autem syllogismus duplex, simplex & coniũctus, siue hypotheticus: simplex, item duplex, absolutus, & modalis: de quibus singulis specieb. deinceps agemᵘ, & primo de simplici & absoluto.

De syllogismi materia & forma.
Cap. IIII.

Vm syllogismus sit quid composi-
tum, habet aliquid loco materiæ,
quid loco formæ: quæ duæ partes
ad eius naturam intelligendam, &
ad syllogismos recte conficiendos
nobis explicandæ sunt.

Syllogismi ergo materia sunt termini simpli-
ces & propositiones: illi sunt veluti materia re-
2. Poster. mota, hæ veluti proxima. Propositio, est oratio q̃
c. 1. aliquid de aliquo affirmat, aut negat: Terminus
est id in quod resoluitur propositio, vt in subie-
1. Periher ctum & prædicatum: neque enim res resoluitur
me. c. 3. nisi in partes materiales, vt domus in lapides, nõ
in formam. Quo fit, vt aliæ partes, etiam ipsum
verbum, non censeantur termini. Quod si inter-
dum & subiectum, & prædicatum plures habent
terminos, vt patet in his propositionibus, Homo
iustus orat; cęlum supremum est corpus magnũ,
non propterea censentur plura prædicata, vel su
biecta, quia ex illis vna fit, propositio, in qua vnũ
de alio dicitur. Syllogismi termini sunt tantum
tres; quorum duos suppeditat quæstio probãda;
tertium assumitur tanquam argumentũ, seu mẽ-
sura ad demonstrandum, an prædicatum quęstio
1. Prior. nis conueniat subiecto: ac proinde bis ponẽdum
34. est, & cum prædicato, & cum subiecto; & ita ex
vtraque connexione duæ fiunt propositiones.
Quare ad syllogismi structuram tres sufficiunt
1. Prior. termini, & duæ propositiones, in quibus cõsistit
25. & 26. tota syllogismi natura: Ex quibus, vt quidam ef-
fectus, sequitur conclusio. Quod si in aliqua ar-
gumentatione plures inueniãtur propositiones,
non


non vnus, sed plures erunt syllogismi, vt in Sorite contingit.

Ex tribus terminis, qui extrinsecus assumitur ad quæstionem probandam, & bis ponitur, dicitur, Medium; ille qui cum medio ponitur in maiori, dicitur Maius extremum, vel maior extremitas: qui in minore, dicitur Minus extremum; Vt, omne bonum est appetendum: omnis virtus est bona; ergo omnis virtus est appetenda: Bonum, est medium: appetendum, maius extremum: Virtus, minus. Ex tribus enunciationibus, prima dicitur Maior: secunda Minor: tertia Conclusio, in qua maior & minor extremitas cõiunguntur. Duæ priores dicũtur, Propositiones, quia proponuntur ad inferendam cõclusionem: dicuntur etiam, præmissæ & sumptiones: aliqui, primam vocant propositionem, & secundam sumptionem. Alex. 1. Prior. 4.

Rursus materia syllogismi, si spectemus res ipsas ex quibus conficitur, triplex est, necessaria, probabilis, & falsa: ex necessaria fit syllogismus necessarius, siue demonstratio: ex probabili, syllogismus probabilis, siue topicus: ex falsa falsus, siue captiosus.

Syllogismi forma est quædam terminorum & propositionum dispositio, quæ figuram & modũ continet; non secus ac hominis pulchritudo, quandam membrorum symmetriam, cum colorum suauitate, vt Cicero loquitur. Et quoniam termini & propositiones variis modis disponi possunt, hinc est, vt variæ sint syllogismorum formæ, siue figuræ, de quibus sequenti capite agemus.

De Syllogiſmorum figuris modiſque.
Cap. V.


YLlogiſmi figura eſt apta extremorum cum medio diſpoſitio, ſecundum ſubiectionem & prædicationem. Modus vero, eſt bona pręmiſſarum diſpoſitio ſecundum quantitatem & qualitatem, collocatio nimirum præmiſſarum; ſecundum quam vna eſt vniuerſalis, vel particularis, affirmatiua vel negatiua.

1. Priorũ. 7. Modus ſyllogiſmi duplex eſt, alter directus, cũ in concluſione maius extremum prædicatur de minori; vt, omnis ſcientia eſt vtilis: Logica eſt ſciẽtia: igitur Logica eſt vtilis: vbi vtile, quod eſt maius extremum, dicitur de Logica, quæ eſt minus. Alter indirectus, cum in concluſione minus extremum dicitur de maiore; vt, omne animal ſentit: omnis homo eſt animal: ergo aliquod ſentiens eſt homo: vbi, homo, dicitur de ſentiente. Rurſus ex modo concludendi, aliqui ſyllogiſmi dicuntur perfecti; vt illi qui neceſſario, & perſpicue concludunt, ita vt nulla ſit opus arte ad eorum perfectionem oſtendendam: alij imperfecti, qui aliqua re egent, vt eorum neceſſitas plana fiat: vt poſtea planius dicetur.

1. Prior. 2.

1. Prior. 22. Figura vero triplex eſt, quia tribus modis vtiliter medium cum extremis complicari poteſt. Prima figura eſt illa, in qua mediũ in maiore ꝓpoſitione ſubijcitur, in minore prædicatur; vt, Omne viuens augetur: omne animal eſt viuẽs; ergo omne animal augetur. In qua figura ſunt varij modi concludendi, tum directi, tum indirecti, de quibus poſtea. Secũda figura eſt ea in qua mediũ in vtraque præmiſſa prædicatur; vt, Omnis

nis

nis lapis est inanimatus: nullus homo est inanimatus: igitur nullus homo est lapis. In hac etiam sunt varij modi. Tertia figura, in qua ita mediũ complicatur cum extremis, vt in vtraque subijciatur; vt, Omnis homo est animal; omnis homo est rationalis: igit͛ aliquod rationale est animal: quæ etiam suos habet modos. Et quoniam nobilius est prædicatum quam subiectũ, & in secunda, & tertia figura maius, & minus sunt paria, ideo censebitur præstantius, quod in conclusione prædicatur, vt aliqui volunt. Alex.

Modi concludendi vniuerse sumpti, prout directos, & indirectos, bonos & malos modos secundum quantitatem, atque qualitatem continent, in quacunque figura sunt numero sexdecim: tot enim modis sumptiones variari possunt secundum qualitatem & quantitatem; si varientur secundum quantitatem tantum, secundum qualitatem tantum; aut secundum vtranque simul. Cæterum ex tota multitudine solum decem & nouem sunt boni ac recte inferunt. In prima quattuor directi, quinque indirecti: in secunda quattuor, in tertia sex directi, cum duæ posteriores figuræ indirectos non admittant: qui omnes respectu quattuor primę figuræ, dicuntur imperfecti, cum non ita plane, licet bene, concludant.

Præstat prima figura cæteris, quia omnes admittit modos, directos & indirectos: & quattuor directi, omnia quæstionum genera probant. Secunda admittit vniuersales & particulares, sed solum negatiuos: tertia affirmantes & negantes, sed solum particulares. Habent autem omnes figuræ quattuor communes regulas. 1. Prio.4. 1. Prior. 24. & 1. Pri.7.

Prima ex duabus particularibus, vi formæ, nihil sequitur; vt, aliquis homo est animal: aliquis

leo est animal: ergo aliquis leo est homo. quoddam animal est bipes: quidam equus est animal: igitur quidam equus est bipes: Et ratio, est quia ad bonam formam syllogismi requiritur, vt medium saltem in altera præmissa complete distribuatur, quod non fit, cum ex puris particularibus conficitur syllogismus. Emēdaretur iste syllogismus, si vna ex pręmissis distribueretur. Similiter hic syllogismus male concludit, Omne animal fuit in arca Noe: quidam equus Regis est animal: ergo fuit in arca Noe. Medium in maiori incomplete distribuit. In secunda vero figura, licet medium non distribuatur cum sit prędicatum cui non apponitur vniuersale signū; tamen censetur distributum ob signum negatiuū quod copulam negat. At vi materiæ ex particularibus sequitur aliquid; vt, aliquod animal est substantia: aliquis leo est substantia: ergo aliquis leo est animal.

Secunda regula, ex duabus negatiuis vi formæ nihil sequitur; vt, nullum rationale est insensibile: nullus homo est insensibilis: ergo nullus homo est rationalis. Huius regulæ ratio ea est, quia medius terminus saltem cum altera extremitate conuenire debet, quod non accidit, in pure negatiuis, vi formæ: At vi materiæ aliquid ex negatiuis infertur; vt, nullus homo est insensibilis: nullus equus est insensibilis: ergo nullus equus est homo.

Tertia, in omni figura cōclusio sequitur ignobiliorem partem; vnde, si vna præmissa erit particularis, vel negatiua, etiam conclusio erit talis: affirmatiua enim, & vniuersalis sunt nobiliores.

Quarta, in cōclusione nō ponitur medius terminus, sed maius, & minus extremum. Addunt

alij hanc, in consequente, non esse distribuendū vllum terminū, qui non fuerit distributus in antecedenti; vnde hic syllogismus non concludit, Omne animal est viuens: omne animal est corpus; ergo omne corpus est viuens; sed inferendum erat in tertia figura, ergo aliquod corpus.

Omnes figurarum modi sunt numero decem, & nouem, vt dicebamus, qui his carminibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum;
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In his vocibus artificiose confictis, primū notandæ sunt tres syllabæ, quę designant tres syllogismi propositiones, maiorem, minorem, & conclusionem; quod si in aliquibus inuenies plures syllabas, carminis caussa id factum fuit. Deinde, in tribus syllabis considerantur tres vocales, quę quantitatem, & qualitatem designant propositionis, A, vniuersalem affirmantem: E, vniuersalem negantem: I, particularem affirmatiuam: O, particularem negatiuam.

De prima figura, eiusque modis, & regulis. *Cap. VI.*

PRima figura, in qua medium in maiori subijcitur, & in minori prædicatur, habet duo prima principia ex quibus eius modi vim ad cōcludendum sumūt; quę priori loco explicanda sunt. Primum, quod Logici appellāt de omni, Aristoteles, etiam in toto: est autem tale, quidquid vni- 1. Prior. 1.

uerſaliter prædicatur de aliquo ſubiecto, prædicatur etiam vniuerſaliter de omni eo, de quo tale ſubiectum vniuerſaliter affirmatur; vt, ſi viués vniuerſaliter dicitur de animali, & animal vniuerſaliter de homine, viuens dicetur etiam vniuerſaliter de homine. Ex quo principio deducitur aliud, Quidquid vniuerſaliter dicitur de ſubiecto, dicetur etiam particulariter de omni eo, de quo tale ſubiectum particulariter dicitur; vt, ſi rationale dicić de omni homine, & homo particulariter de aïali, rationale particulariter de animali dicetur: particulares propoſitiones fiũt, cum inferius prædicatur de ſuperiori.

Secundum, quod vocatur De nullo, Quando aliquid vniuerſaliter negatur de aliquo, negabitur etiam vniuerſaliter de omni eo, de quo illud vniuerſaliter affirmatur; vt, ſi lapis negatur de oĩ animali, & animal vniuerſaliter dicitur de homine, lapis vniuerſaliter negabitur de homine. Hic oritur aliud, Quod vniuerſaliter negatur de aliquo, negabitur particulariter de eo, de quo illud particulariter affirmatur; vt ſi vniuerſaliter negatur de inſenſibili, & eſſe rationale inſenſibile particulariter affirmać de corpore, rationale negabitur particulariter de corpore; vt, nullum inſenſibile eſt rationale: aliquod corpus eſt inſenſibile: ergo aliquod corpus nõ eſt rationale. Quibus quattuor principijs per ſe manifeſtis nituntur quattuor modi directi primæ figuræ: primo primus, ſecundo tertius, tertio ſecũdus, & quarto quartus, qui his vocibus deſignãtur, Barbara, Celarét, Darij, Ferio. Exempla ſunt huiuſmodi.

Alex. 1. Prior. 4.

Bar Omne bonum eſt expetendum,
ba Omnis virtus eſt bona,
ra Igitur omnis virtus eſt expetenda.

Nulla

Ce Nulla violentia est perpetua,
la Omnis tyrannis est violentia,
rēt. Nulla igitur tyrannis est perpetua.

Da Omne viuens sentit,
ri Aliquod corpus est viuens,
j. Aliquod igitur corpus sentit.

Fe Nullum animal est lapis,
ri Aliquod corpus est animal,
o. Aliquod igitur corpus non est lapis.

In eadem figura sunt quinque modi indirecte concludentes, his vocibus designati, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Ba Omne animal est substantia,
ra Omnis homo est animal,
li: Aliqua igitur substantia est homo.

Ce Nullum animal est lignum,
lan Omnis equus est animal,
tes. Nullum igitur lignum est equus.

Da Omne bonum est expetendum,
bi Quidam labor est bonus,
tis. Quare quoddam expetendum est labor.

Fa Omnis lux est qualitas,
pes Nullum opacum est lux,
mo. Ergo quædam qualitas non est opaca.

Fri Aliquod bipes est animal,
se Nullus equus est bipes,
so. Ergo quoddam animal non est equus.

Habet

1\. Prior. 4. Habet hęc figura duas priuatas regulas: prima, maiori existente particulari, vi formæ, in modis directis, nihil sequitur; dixi, vi formę, quia ex parte materiæ aliquid sequi potest: dixi, in modis directis, quia in Frisesomorum, qui modus est indirectus, sequitur. Huius regulæ prætermissione, hic syllogismus est vitiosus, Aliquod animal est rationale: omnis equus est animal: ergo omnis equus est rationalis. Ratio huius regulæ ea est, quia medium in neutra præmissa vniuersaliter sumitur: nam in minori, animal stat confuse, non distributiue.

Secunda regula, minori existente negatiua, nihil directe infertur vi formæ: dixi directe, quia indirecte in Fapesmo, & Frisesomorum aliquid concluditur: dixi, vi formæ, quia ex parte materiæ aliquid concludi potest. Huius regulæ defectu, hic syllogismus nō est bonus, Omne album est coloratum: nullus coruus est albus: ergo nullus coruus est coloratus: Ratio, quia argumentamur a non distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis: cuius rei signum est, quia si distribueretur, dicendo, omne album est omne coloratum, recte concluderetur.

Ex his regulis cum alijs communibus supra allatis, colligere licet, cur e sexdecim modis quos diximus fieri posse in prima figura, solum quattuor perfecte concludant; in qua re explicanda nihil est necesse, vt sine vtilitate, multum laboremus.

De secunda figura & eius modis, ac regulis. Cap. VII.

SEcunda figura, vt diximus, est ea in qua medium in vtraque præmissa prædicatur: quę quat-

quattuor habet vtiles modos, & omnes directos his dictionibus designatos Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Quorum hæc sunt exempla, 1. Prio. 5.

Ce Nullus diues est pauper,
sa Omnes auari sunt pauperes,
re. Igitur nullus auarus est diues.

Ca Omne bonum facit meliorem,
me Nullæ opes faciunt meliorem,
stres. Nullæ igitur opes sunt bonæ,

Fe Nullum animal est insensibile,
sti Quoddam corpus est insensibile,
no. Igitur quoddam corpus non est animal.

Ba Omnis sapiens prospicit futura,
ro Quidam iuuenis non prospicit futura,
co. Aliquis igitur iuuenis non est sapiens.

Hæc figura tres habet regulas, quarum prima est, Vt maior sit semper vniuersalis, alias nihil sequitur vi formæ; vnde hic syllogismus est vitiosus, aliquod viuens non est animal: omnis equus est animal: ergo aliquis equus non est viuens. Similiter iste: aliquod animal est rationale: nullus equus est rationalis: ergo nullus equus est animal. Ratio huius regulæ, quia ex parte maioris extremitatis argumentamur a non distributo ad distributum: vnde, si fieret distributio, recte cõcluderetur. 1. Prio. 5.

Secunda, ex vtraque præmissa affirmatiua in hac figura nihil sequitur; vnde hic syllogismus est vitiosus, Omnis lapis est corpus; omnis homo est corpus: ergo omnis homo est lapis. Ratio huius regulæ est hęc, quia mediũ in neutra vniuersa-

uersaliter ſumitur: vnde ſi in maiore diſtribuere tur, bene concluderetur.

Tertia, in ſecunda figura concluſio ſemper eſt negatiua propter regulam ſupra allatam. Ex ſexdecim modis qui fingi poſſunt in hac figura, ſolū quattuor ſunt boni: in alijs duodecim, poſſet eſſe antecedens verum, & conſequens falſum.

De tertia figura & eius modis, ac regulis.

Cap. VIII.



Ertia figura eſt ea, in qua medium in vtraque præmiſſa ſubijcitur: in qua ſunt ſex modi, his dictionibus deſignati, Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon. Quorum hæc ſunt exempla.

Da Omnis virtus eſt bona,
Rap Omnis virtus eſt qualitas,
Ti. Aliqua igitur qualitas bona.

Fe Nullus lapis nutritur,
Lap Omnis lapis eſt ſubſtantia,
ton. Ergo aliqua ſubſtantia non nutritur.

Di Quoddam animal reſpirat,
Sa Omne animal eſt viuens,
mis. Igitur quoddam viuens reſpirat.

Da Omnis peccator eſt miſer,
ti Quidam peccator eſt Chriſtianus,
ſi. Quidam igitur Chriſtianus eſt miſer.

Ali-

Bo Aliquod animal non habet memoriam,
car Omne animal eſt ſentiens,
do. Ergo aliquid ſentiens nō habet memoriā.

Fe Nullus amicus Dei eſt ei inuiſus,
ri Quidam amicus Dei eſt ſacerdos,
ſon. Ergo aliquis ſacerdos nō eſt Deo inuiſus.

Pro hac figura hæ tradūtur regulæ. Prima, cōcluſio ſemper debet eſſe particularis, vt patet in ſingulis modis: vnde præmiſſæ ambæ poſſunt eſſe vniuerſales, cū ex vniuerſalibus inferatur particularis: non autem ambæ particulares, cum ex particularibus, vt diximus, nihil vi formæ inferatur: vna tamē poteſt eſſe vniuerſalis, altera particularis: Quare hic ſyllogiſmus male cōcludit, Omnis homo eſt riſiuus: oīs homo eſt animal: ergo omne animal eſt riſiuum. Ratio huius regulæ eſt, quia arguitur a non diſtributo ad diſtributum ex parte minoris extremitatis; vnde ſi fieret diſtributio, dicendo, Omnis homo omne animal eſt, valeret. 1. Prior. 6.

Secunda regula, minore exiſtente negatiua in tertia figura nihil ſequitur; vnde non valet, omne animal eſt corpus: aliquod animal non eſt lignum: ergo lignum non eſt corpus. Ratio, quia argumentamur à non diſtributo ad diſtributum ex parte maioris extremitatis. Vnde, ſi in cōcluſione non diſtribuatur maior extremitas, valebit; vt ſi dicatur, lignum non omne corpus eſt.

Quod hoc loco, & ſupra non ſemel diximus, ex puris particularibus nihil ſequi, intelligendū eſt, de ſyllogiſmis qui conſtant ex terminis cōmunibus: nam expoſitorius ſyllogiſmus fieri poteſt etiam ex terminis ſingularibus, de quo poſtea dicetur. Cur autem alij decem modi in hac

figura

figura nihil cōcludant ex eo fit; quia daretur antecedens verum, consequens falsum.

De syllogismorum imperfectorum probatione per reductionem ad perfectos. Cap. IX.



1. Prior. 1. X omnibus syllogismorū modis solū quattuor primi primę figurę censentur perfecti, cum plane clareque concludant; reliqui vero ideo dicūtur imperfecti, quia non tanta cum claritate conclusionem inferunt, vt primi, ob quam caussam alij omnes ad hos quattuor reuocantur.

Est autem reducendi modus duplex: vnus qui dicitur ostensiuus, alter qui vocatur ad impossibile. Tunc fit reductio ad impossibile, cum sumpto contradictorio consequentis, siue conclusionis negatæ, & vna ex præmissis concessis, infertur contradictoria alterius præmissæ concessæ: vnde cogimus aduersarium concedere contradictorias esse veras; ob quā caussam hic modus dicitur ad impossibile; cū cōtradictorias esse veras sit impossibile. Reductio ad ostensionem fit, cum ijsdem propositionibus conuersis, aut transpositis, eadem infertur conclusio in modis perfectis primæ figuræ. Reductione ad ostensionem vtimur ad ostendendam bonitatem consequentiæ; ac reductio ad impossibile adhibetur contra proteruos negantes veritatem, concessis præmissis. Ad ostensionem reuocantur omnes modi secundæ, & tertię figurę, excepto Baroco, & Bocardo, & omnes indirecti primæ. Ad impossibile reducuntur omnes.

[Marginal notes: 1. Prior. 30. & 40. & 2. Pri. 14. — 2. Pri. 5. & 6.]

Ad reductionem faciendam considerãdę sunt consonantes aliquot, quæ continentur in illis fictis dictionibus. Prima consonans indicat ad quẽ modum primæ figuræ modus imperfectus reuocari debeat; vt Cesare, & Camestres ad Celarẽt, cum incipiant, a C. Festino, ad Ferio, Darapti, ad Darij, & sic de alijs. Litera S, indicat præcedentẽ præmissam conuertendam esse simpliciter, idest prædicatum mutandum esse in subiectum. Si ergo esset syllogismus in Cesare, nullus lapis est animal: omnis leo est animal: ergo nullus leo est lapis, reuocaretur ad Celarent, per conuersionẽ simplicem maioris propositionis, quæ indicatur per literam S, dicendo. Nullum animal est lapis: omnis leo est animal, igitur nullus leo est lapis. Litera P, indicat conuersionem præmissæ secundum partem, hoc est, vt ex vniuersali fiat particularis: vnde hic syllogismus in Darapti, omnis homo est animal: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est animal, reduceretur ad Darij hoc modo, Omnis homo est animal: aliqđ rationale est homo: ergo aliquod rationale est animal. Vbi nota S, & P, cum designant conuersionem conclusionis, non indicant conuersionẽ imperfecti, sed perfecti, qui fit ex imperfecto, vt in Fapesmo, & Frisesom. Litera M, designat trãspositionem præmissarũ; ita vt ex maiore fiat minor; vt si fiat syllogismus in Camestres, omnis homo est animal: nullus lapis est animal: ergo nullus lapis est homo; reducetur ad Celarẽt hoc modo: Maior fiet minor, quod designatur litera M, & Minor conuertetur simpliciter, quod designatur, litera S, Nullum animal est lapis: omnis homo est animal: igitur nullus homo est lapis. Denique, litera C, indicat reductionem ad impossibile, quo modo reducuntur Baroco, & Bocardo.

cardo. Sit ergo ſyllogiſmus in Baroco, omnis leo eſt animal: aliquod corpus non eſt animal: ergo aliquod corpus non eſt leo. Si quis proteruus hāc veram concluſionem mihi negaret; reducam eū ad contradictionem hoc pacto. Sumo igitur contradictoriam, ſiue contrariam illius concluſionis, quam vt veram concedere debet, ſi oppoſita non eſt vera; & cum eadem maiore facio talem ſyllogiſmum in Barbara, Omnis leo eſt animal: omne corpus eſt leo: ergo omne corpus eſt aīal: hanc non poteſt negare, qua conceſſa, ſibi cōtradicit, quia in ſuperiori ſyllogiſmo cōceſſerat, aliquod corpus non eſſe animal; cui cōtradicit hęc, Omne corpus eſt animal. Rurſus facio ſyllogiſmum in Bocardo, Aliquod animal nō eſt rationale: omne animal eſt viuens: ergo aliquod viuens non eſt rationale. Si proteruus neget hanc concluſionem, ſumo contradictoriam, & cū eadem minori in Barbara concludo contradictoriā maioris, hoc modo; Omne viuens eſt rationale; omne animal eſt viuens; ergo omne animal eſt rationale, quod contradicit, maiori primi ſyllogiſmi conceſſæ. Atque hoc pacto facile reduceres oēs alios modos ad quattuor primos ad impoſſibile: ad quod faciendum facilitatis gratia, excogitatę ſunt hæ dictiones. Pro modis indirectis primæ figuræ eſt hæc dictio, Neſciebatis: Pro modis ſecundę hęc, Odiebam: Pro modis tertię, Letare Romanis. In quibus dictionibus ſingulæ ſyllabæ reſpondent ſingulis modis; vt quinque ſyllabæ, Neſciebatis, quinque modis indirectis, & ſic de alijs. Conſiderantur præterea vocales, A deſignat reductionem ad Barbara: E, ad Celarēt: I, ad Darij: O, ad Ferio. Vnde ſi vellem reducere Ceſare ad impoſſibile, ſumo O, ex odiebā, & reducam ad Ferio; vt hoc patet exēplo, Nullus leo

eſt

est lapis: omne marmor est lapis: ergo nullū marmor est leo: si negetur conclusio, sumo contradictoriam, & cum eadem maiori infero contradictorium minoris, hoc modo, Nullus leo est lapis: aliquod marmor est leo: ergo aliquod marmor non est lapis. Atq; eodem modo facile alios reduceres.

Denique, duo modi posteriores primæ figuræ Darij, & Ferio possunt reuocari ad vnum ex primis: non tamen immediate: Nam primo reducūtur ad secundam reductione ad impossibile, Darij ad Camestres, eodem modo quo syllogismi secundæ, Ferio ad Cesare, & postea vterque per ostensionem ad Celarent.

De medij termini inuentione. Cap. X.



CVm medius terminus in syllogismo sit veluti mensura quædā, qua metimur, an prædicatū conueniat cum subiecto; propterea necesse est, vt cum vtroque, aut saltem cū altero conueniat. Non secus ac si quis vellet metiri duas quantitates, an essent inter se æquales, cui opus esset tertia quantitas, quæ esset veluti illarum mensura; quæ tunc esset ad mentiendum idonea, si vtrique, aut vni saltem esset æqualis. Rodulp. Agric. Medium igitur, vniuerse loquendo, tale esse debet, vt sit consentaneum cum extremis; si vtriq; conueniet, inferet conclusionem affirmantem, si vni tantum, negantem: si neutri, erit ineptum. Tota itaque ratio medij consistit in respectu, quē habet ad maiorem, & minorem extremitatem, prout vel eas antecedit, aut consequitur, aut est

illis extraneum. Id si spectemus tria mediorum genera distinguenda erunt: primum quod dicitur antecedens, & est illud ex quo aliquid tanquam superius, vel æquale infertur; vt est homo, ad animal & risiuum: alterum consequens, & est illud quod ex alio infertur, vt animal, & risiuum ad hominem: tertium, extraneum, & est illud, quod de alio dici non potest; vt lapis de homine.

Ad faciliorem medij inuentionem assignantur a scriptoribus sex regulæ, quę sequentibus dictionibus continentur, Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedago, Gebali. Prima dictio est vtilis pro Barbara ad concludendam vniuersalem affirmatiuam: secunda pro tertia figura, vel pro prima per conuersionem particularis affirmatiuæ: Tertia, pro vniuersali negatiua in Cesare, & Celarent, per conuersionem maioris. Quarta pro vniuersali negatiua in Camestres, vel Celantes indirecte: Quincta pro particulari negatiua in tertia figura, aut indirecte in prima, aut directe per conuersionem affirmatiuæ: Sexta, pro particulari affirmatiua indirecte in Baralipton, & Dabitis.

In quibus dictionibus considerantur tres vocales, Prima designat conclusionem probādam, vt in Fecana A, vniuersalem affirmatiuam: Mediæ, quarum A, designat prędicatum, subiectum: Consonantes designant medium B. consequens, C antecedens D, extraneum ad prædicatum F, consequens, G antecedens H, extraneum ad subiectum. Exempli gratia, si velles probare in barbara hanc vniuersalem affirmantem, Omnis homo est sentiens, in voce Fecana, habes C. quod significat medium antecedens ad sentiens, & F. medium consequens ad homo. Sume ergo ani-

mal, quod antecedit sentiens, vt suum conuertibile, & cõsequitur hominem, vt superius. Si velles probare hanc particularem negatiuam in tertia, Aliquod animal non est insensibile, in dictione Gedago, sume medium extraneum ad prædicatum designatum per D, & antecedens ad subiectum, designatum per G, & sit Homo. & sic argue, in Felapton; Nullus homo est insensibilis: omnis homo est animal: ergo aliquod animal nõ est insensibile, & per conuersionem minoris in Ferio.

Cur autem sex assignentur regulæ pro inuentione medij, ea est ratio, quia nouem modis medium potest se habere ad extrema, ex quibus sex apti reperiuntur, tres inepti, quos his tribus dictionibus designant, Febas, Edas, Hecas. in quibus non ponitur tertia vocalis, quia per illas designatur medium inutile ad concludendum.

Rursus eandem artem inueniẽdi medij sic explicares. Primum, ponẽda est ob oculos quęstio, siue propositio probanda: cuius duo extrema spectanda sunt: Quorum considerandæ sunt definitiones, proprietates, quæ ea consequuntur, antecedunt, aut eis repugnant. Consequẽtiá sunt ea quæ de ijs quorum sunt consequentia vniuerse, necessario, vel probabiliter affirmantur. Antecedentia sunt ea de quibus affirmantur vniuerse illa quorum dicuntur antecedentia. Repugnantia quæ affirmari nullo modo possunt, aut raro: vt hominem esse brutum, parẽtes non amare filios. Et quoniam quatuor sunt quæstionum genera, quæstiones vniuerse affirmantes, particulariter affirmantes; vniuerse negantes, & particulariter negantes, quattuor dantur ad inueniẽda media regulæ.

1. Prior. 28.

1. Prior. 29.

Prima, ad probandam vniuersalem affirmantem,

tem medium sit antecedens prædicati, & consequens subiecti. Secunda, ad probandam particularem affirmantem, medium sit antecedens prædicati, & subiecti: aut consequens prædicati, & antecedens subiecti: in tertia figura, vel in prima indirecte, vel per conuersionem directe. Tertia, ad probandam vniuersalem negantem, medium sit consequens subiecti, repugnans prædicato, aut contra in Celarent Cesare, & in Celantes, & Camestres. Quarta, ad probandam particularem negantem, medium sit antecedens subiecti, & repugnans prædicato, in omni figura.

De quibusdam potestatibus, & defectibus syllogismi. Cap. XI.



CVm syllogismus sit veluti quoddam compositum, seu res quædam artificio confecta; vt res quas natura procreat quasdam habent facultates potestatesque, & imperfectiones, ita etiam syllogismus. Facultates siue potestates simplicium syllogismorũ numerantur sex.

2.Prior. a c.1.ad17. Prima, plura concludendi; hoc est, syllogismus qui infert vniuersalem seu subalternantem, potest inferre etiam subalternatam: & qui colligit conuersam, colligit etiam conuertentem, & id quod sequitur ex tali conclusione.

Secunda vera ex falsis colligendi: eadẽ enim forma syllogismi aliquando verum, ex vero, aliquando ex falso, & aliquando ex falso falsum.

Tertia, circulariter syllogizandi: cum ex eadem conclusione, & conuertente alterius præmissę, altera infertur præmissa: quod solum fit in terminis cõuertibilibus ratione materiæ in Barbara. Est aũt circulus perfectus, cũ vtraq; sum-

prio concluditur per circulum: vt, omne rationale est risiuum: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risiuus: conuerte maiorem, & conclusionē sume pro minori, concludes minorem. Quod si conuertas minorem, inferes maiorem.

Quarta, conuersiue ratiocinandi; cum ex cōtradictorio conclusionis, cum altera præmissa, colligitur contradictorium alterius. Cap. 8. & seq.

Quincta, ratiocinandi per impossibile, cum ex contradictorio alicuius propositionis veræ negatæ cum altera propositione plane vera infertur propositio falsa, vt fiat regressus ad negandū oppositū propositionis negatę. Vt ecce, negat quis, spongiam esse sentientem: contra quem sumēdo contradictoriū, sic argumentabor: omne aīal est sensibile: Nulla spongia est sensibilis: ergo nulla spongia est aīal: conclusio est falsa: ergo aliqua ex pręmissis: nō maior, quæ est certissima: minor igitur: ergo eius contradictoria negata est vera. Vbi animaduerte, sumendū esse contradictoriū: nā in contrarijs ex falsitate vnius, non sequitur veritas alterius, quia vtrūque potest esse falsum. Hęc potestas differt a superiore, quod ibi supponitur syllogismus factus, hic vero non item.

Sexta, ratiocinandi ex oppositis, cū ex duabus cōtrarijs, siue cōtradictorijs concluditur enūtiatio in qua idē de seipso negatur, idque contra proteruos, qui cōtraria, vel cōtradictoria admittūt, vt, nullla substantia est aīal; omnis substantia est animal: ergo nulla substantia est substantia.

Syllogismi defectus tres numerantur: primus; qui dicitur petitio principij, cum idem per idem, aut per minus, æque ve notum probatur: vt omnis leo est leo: omnis leo est leo; ergo omnis leo est leo. Secundus, non propter hoc

accidere falsum: cum falsitas conclusionis attribuitur antecedenti, quod non est vere caussa illius: vt, homo est animal, & omne corpus est viuens: omnis lapis est corpus: ergo omnis lapis est viuens. Conclusio est falsa cuius falsitas non est tribuenda illi parti antecedentis, Homo est animal: quia ea remota, adhuc cõclusio falsa sequitur. Tertius, fallacia contrariæ opinionis; cũ assentimur duabus contrarijs, vel contradictorijs, vniuersaliter, aut particulariter expressis; vt ecce, qui admitteret, omne animal esse corpus, & nullum nigrum esse corpus, is admittit omnem coruum esse animal, & Nullum coruũ esse corpus, quæ formaliter sunt contrariæ.

De syllogismo ex obliquis.

Cap. XII.



Via interdum fiunt syllogismi ex casibus obliquis, qui nonnihil difficultatis habent; propterea de illis quoque aliquid dicendum est.

Syllogismus obliquus est ille, cuius aliquis terminus est obliquus, maior, minor, vel medius. Si extremitas est obliqua in præmissis, erit etiam in cõclusione: cum mediũ est obliquum, extremitas quæ est cum medio in conclusione erit in recto: cum vero in vtraque præmissa medium est obliquum, vtraque extremitas erit in recto: Quando vero in premissa negatiua fuerit medium obliquum in affirmatiua rectũ, conclusio erit in obliquo: quod si contra fuerit, non sequitur conclusio; vt si dicas, Homo non est leo: omni homini inest sensus: ergo leoni non inest

sensus,

ſenſus. Vt autem quæ a ſcriptoribus de hoc ſyllogiſmorum genere traduntur, facilius percipiātur, ſtatuo has regulas.

Prima, in modis affirmatiue concludentibus, ſi altera præmiſſa ſit ex obliquo, recte efficitur cõcluſio, ex obliquo, modo extremum obliquum in antecedente, ſit etiam obliquum in conſequẽte: & ſi medium ſit obliquum in altera præmiſſa, extremum alterius debet eſſe obliquum in concluſione: vt, omnis paſſio eſt ab anima: amor eſt paſſio: ergo ab anima: omnis virtus eſt bona: in omni viro pio eſt virtus: ergo in viro pio eſt bonitas: Brutorum eadē eſt anima: leo & bos bruta: ergo bouis, & leonis eadem eſt anima.

Secunda, in negatiue concludentibus, ſi affirmatiua tantum ſit ex obliquo, non recte concluditur; vt patet in exemplo ſupra allato: ſi vero ſola negatiua ſit ex obliquo, recte, & bene concluderetur: ſeruata duplici limitatione, in prima regula poſita; vt nulli lapidi conuenit ſenſus: marmor lapis: ergo marmori non conuenit ſenſus: omnis lapis eſt corpus: nulla indiuiſibilitas eſt corporis: ergo indiuiſibilitas non eſt lapis.


Tertia, in modis affirmatiue concludentibus, ſi vtraque præmiſſa fuerit ex medio obliquo; aut vtraque ex obliquo extremo; nulla omnino fit concluſio: vnde male argueres, cuiuſque hominis eſt ſtudere: cuiuſque hominis eſt amare Deū: ergo ſtudium eſt amor Dei.

Quarta, in modis negatiue concludentibus, ſi vtraque ſit ex medio obliquo, aut vtraq; ex obliquo extremo, recte concluditur; vt, nullum peccatū eſt a Deo: omnis virtus eſt a Deo: ergo nulla virtus eſt vitium. Ceterum facile horum ſyllogiſmorum rectitudo dignoſcetur, ſi propoſitiones ex obliquis reuocabuntur ad rectas, eodem Lib. 1. Prior. 37.

manente sensu; quia si recte cōcludent, illæ quoque recte inferent conclusionem; cęterū, vt casus fiant recti, aliquantulum immutanda erit oratio; vt si diceretur, omnis lux est a sole; hoc modo immutares, omnis lux est effectus solis: corruptibilium eadem est natura, Res corruptibiles, eandem habent naturam. Sed de hoc syllogismo hactenus.

De syllogismo expositorio. Cap. XIII.

1. Pri.2. & 6.



SYllogismus expositorius quo Aristoteles vti solet est ille qui constat ex medio termino singulari: sic dictus, quod sit maxime perspicuus ac euidens. Habet enim necessitatem colligendi maxime notam: ac proinde vocari solet demonstratio sensibilis.

Nituntur itaque syllogismi expositorij duobus notissimis principijs, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: Quando vero ita se habent ad illud tertium, vt vnum sit cum eo cōiunctum, alterum non item, sunt inter se diuersa. Cum ergo in hoc genere medium sit singulare, & singularis sit subijci, hinc est, vt illi dicantur præcipue expositorij, qui fiunt in tertia figura.

Cęterum, si vtraque etiam sumptio fuerit singularis; in prima figura possunt esse duo modi: vnus ex vtraque affirmāte; vt, Petrus est doctus: hic homo est Petrus: ergo hic homo est doctus: alter negatiuus: Petrus non currit: hic homo est Petrus; ergo. In secunda figura tres: Primus ex ambabus affirmantibus colligit conclusionē affir-

firmantem: Petrus est Philosophus: hic homo est philosophus: ergo. Secundus ex maiore negăte, & minore affirmante: tertius contra; Petrus est Logicus. Hic homo, vel Franciscus non est Logicus: ergo hic homo non est Petrus. In tertia duo: primus, ex vtraque affirmatiua, colligit conclusionem affirmatiuam: secundus, ex maiori negante, & minori affirmante, conficit conclusionem negantem; vt Ludouicus non est sapiens: Ludouicus est pauper: ergo quidam pauper non est sapiens. Quod si minor extremitas sit singularis, in primo modo, concludetur conclusio singularis affirmans, & in secũdo particularis negans.

At si hic syllogismus habeat solum medium terminum singularem, in prima figura erunt totidem modi, quot sunt termino medio existente communi: qui solum different in eo, quod habebunt maiores propositiones singulares, cum medium ibi subijciatur. In secunda vero præter vulgatos modos negantes, erunt alij quattuor modi ex vtraque affirmante: quorum primus fit ex vtraque vniuersali: vt, omnis saluator mundi est hic homo: omnis qui est filius virginis est hic homo: ergo omnis filius virginis est mundi Saluator: Secundus ex maiori vniuersali, & minori particulari: Tertius, ex maiori particulari, & minori vniuersali: Quartus ex vtraque particulari. In tertia figura, non sunt alij præter iam dictos.

Quod si ex his quæ diximus, ita argueres, Essentia diuina est Pater: essentia diuina est Filius: ergo pater est filius: Item Pater non est filius: Pater est essentia diuina: ergo essentia diuina non est Filius: qui modi pertinent ad tertiam figuram; cum, Essentia

&

& Pater in diuinis sint termini singulares, Responderem, per terminum singularem nos hoc loco eum intelligere, qui sumitur pro vna re, quæ nec est plures res, nec est idem re cum ea quæ est plures res; at Essentia, est ita indiuidua, vt sit plures res, id est plures personę diuinę, quæ idem sunt cum essentia diuina. sed de his plenius Theologi.

Rursus syllogismus expositorius hunc habet vsum, vt per eum probemus modos imperfectos tertiæ figuræ recte concludere, idq; duobus modis. Primo, cum præmissis imperfecti concluduntur præmissæ expositorij, ex quibus rursus conclusio imperfecti conficitur. Siquidem quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente. Quare, quod colligetur ex præmissis expositorij; qui infertur ex imperfecto, colligetur ex imperfecto, ac proinde imperfectus bene concludere dicetur. Exempli gratia, sit syllogismus in Darapti, Omne animal est sentiens: omne animal est corpus: ergo quoddam corpus est sentiens: quæ argumentatio, sic confirmari potest syllogismo expositorio, Omne animal est sentiens, & omne animal est corpus: ergo hoc animal est sentiens: & hoc animal est corpus, quæ particulares inferuntur ex vniuersalibus: Tunc conficitur syllogismus expositorius, quo infertur conclusio syllogismi allati imperfecti: Hoc animal est sentiens: hoc animal est corpus: ergo quoddam corpus est sentiens: Quare ex primo antecedente in Darapti, recte sequitur extremum consequens, quoddam corpus, est sentiens.

Secundus modus, qui confert ad probandos modos omnes tertiæ figuræ, cum primus solum inseruiat Darapti; qui fit, si sumatur aliquid singula-

gulare sub medio termino, cum eisdē extremis, eodem modo se habentibus, quibus in syllogismo expositorio eadem probatur conclusio, hoc modo. Sit syllogismus imperfectus in tertia, quidam homo est sanctus; omnis homo est animal: ergo quoddam animal est sanctum: sumatur sub homine aliquis singularis homo, & dicatur, Frāciscus est sanctus: Franciscus est animal; ergo aliquod animal est sanctum. Ecce, vt syllogismo expositorio eadem probatur conclusio, quæ in imperfecto probabatur: idemque faceres in alijs modis. Per hunc itaque syllogismum tertiæ figuræ modos recte concludere, demonstratur.

De Syllogismo modali. Cap. XIIII.

SYllogismi modalis materia remota sunt tres termini: modus enim non est terminus: proxima sunt duæ præmissæ quæ varijs modis, tum ex modalibus, tum ex simplicibus variari possunt, vt statim dicam. Forma ex figura, & modo constat. Forma est triplex, vt in syllogismis absolutis: modi concludendi, non ijdem in omnibus. Præmissæ igitur, vel ambæ sunt ex modo necessario, vel altera tātū, altera de inesse; vel vtraq; ex cōtingēti, vel altera, & altera de inesse; vel vna de contingenti, altera de necessario. Sumitur hoc loco contingens, pro eo quod potest esse & non esse: & solum fit mentio de duobus modis, scilicet de necessario, & contingēti, quia alij præposita, aut postposita, vna negatione, vel altera æquiualent necessario. Modi autem concludendi his regulis continentur. Tolet. lib. 4.

Prima, in omni figura, & modo cuiusque figu-

ræ, ex vtraque de necessario, infertur conclusio necessaria.

Secunda, in prima, & maiori de necessario, & minori de inesse, conclusio cõficitur necessaria. In secunda etiam existente negatiua ex necessario: excepto tamen Baroco. Similiter in tertia, vt in Felapton, & Ferison: similiter si vtraque sit affirmatiua, & vniuersalis, vt in Darapti: vel si vna est particularis, alia vniuersalis, vt in Disamis, & Datisi, necessaria sequitur conclusio. In alijs modis non contingit in his figuris.

Tertia, in prima figura ex vtraque contingenti in quattuor modis sequitur conclusio contingens, & in eisdem sequitur quando vtraque est negatiua, vel minor sola, sed imperfecte: quia opus est prius conuertere minorem negatiuam in affirmatiuã, quod licet in contingenti, vel vtranque negatiuam in affirmatiuam. Similiter in alijs modis, minori, vel vtraque existente negatiua.

Quarta, in prima figura in eisdem quattuor modis seruata eadem qualitate, & quantitate, maiori existente contingenti, & minori de Inesse, sequitur conclusio contingentis specialiter dicti: at vero contra, maiori existente de Inesse, & minori de contingenti, tam affirmatiua, quam negatiua; sequitur conclusio contingentis communiter dicti.

Quincta, in eadem prima figura idem iudicium est de Inesse, Necessario, & de Inesse solo: vt si maior sit contingens, & minor necessaria, sequatur conclusio contingentis specialiter dicti: at si maior sit de necessario, & minor contingens, siue affirmatiua, siue negatiua, conclusio erit contingentis generaliter sumpti.

Quod

Quod si maior sit necessaria, & negatiua, potest inferri conclusio de inesse.

Sexta, In secunda figura, ex vtraque contingenti vtcunque disposita, nihil sequitur; nec quando negatiua est contingens, & affirmatiua necessaria, vel de inesse. At quando affirmatiua est contingens, & negatiua necessaria, vel de inesse, sequitur conclusio contingentis generaliter sumpti.

Septima, in tertia figura ex vtraque de contingenti sequitur conclusio contingens; & ex vna, ex contingenti, & altera ex necessario, vel de inesse, si contingens fuerit illa quæ est maior in reductione in prima figura, conclusio erit contingentis specialiter dicti: si vero fuerit in reductione minor, erit contingentis generaliter sumpti. Has regulas facile exemplis illustrare poterit, qui eas planius cognoscere, necessarium esse existimabit. Nos ad alia pergemus.

De syllogismo hypothetico, siue coniuncto. Cap. XV.

Syllogismus hypotheticus est ille qui habet vnam, vel plures hypotheticas propositiones. Ille tamen præcipue hypotheticus vocatur, qui maiorem habet hypotheticam, & minorem conclusionemque categoricam, de quo nos speciatim loquemur, cuiusmodi est iste, si sol est, dies est: sed sol est, ergo dies est.

Boet. libr. de Syllo. hyp. & in Top Cic. in Top. D. Tho. Opusc. 48. cap. 16. & seq. Auenro. 1. Prior. c. 3.

Huius tres sunt species, cōditionalis, copulatiuus, disiūctiuus, ratione maioris ꝓpositionis quę triplex

triplex eſt, conditionalis, copulatiua, & diſiũctiuã: Conditionalis duplicem habet figuram: prima, cum ponitur antecedens pro minori, vt ponatur conſequens in concluſione: vt, ſi ſol lucet dies eſt: ſed ſol lucet; ergo dies eſt: ſecunda, cum tollitur conſequens, vt tollatur antecedens: vt, ſi ſol lucet, dies eſt, ſed non eſt dies: igitur nec ſol lucet. Vtriuſque figuræ quattuor ſunt modi, primæ ſunt iſti. Primus, cum vtraque pars cõditionalis affirmat; vt, ſi ſol lucet, dies eſt: ſed lucet: dies igitur. Secundus, cum vtraque negat: vt, ſi ſol non lucet, non eſt dies: ſed non lucet: nõ igitur dies. Tertius, cum prior pars affirmat, poſterior negat: vt, ſi ſol lucet, non eſt nox: at ſol lucet: ergo non eſt nox. Quartus, cum prior negat, altera affirmat; vt, ſi ſol non lucet, nox eſt: at ſol non lucet: nox igitur. Secundæ figuræ hi ſunt modi. Primus, ſi ſol lucet dies eſt: nõ eſt dies: ſol igitur non lucet. Secundus, ſi ſol non lucet, non eſt dies: at non eſt dies: igitur nec ſol lucet. Tertius, ſi ſol lucet, non eſt nox: at eſt nox: igitur ſol non lucet. Quartus, ſi ſol non lucet, nox eſt: non eſt autem nox: ſol igitur lucet: conditionales autem ex particula conditionali negata, cum non ſint fere in vſu, hic omittuntur.

Copulatiuus cuius coniũctio affirmatur, nullus eſt, ſed ex hoc ſolũ ſiunt conſequentiæ quædam, ſeu Enthymemata conditionalia; vt, ſi homo currit, & leo rugit: ergo homo currit: Si Deꝰ eſt miſericos, & iuſtus, ergo eſt miſericos, ſeu ergo eſt iuſtus: copulatiua enim affirmata infert vtranque ſui partem. At vero copulatiuus negatus vnam habet formam, in qua vna pars ponitur, vt altera tollatur; vt, Non & dies eſt, & nox eſt: eſt autem dies; non igitur nox; vel, Eſt autem nox, non igitur dies. Sed nõ valeret, ſi vna tolleretur,

vt altera poneretur; vt, Non & Petrus currit, & cubat, sed non currit, ergo cubat; quia potest sedere. Hæc forma tres habet modos. Primus, cum partes sunt affirmatæ, & non habent nisi cōmunem negationem, qua tota copulatiua negatur; vt, Non & Petrus ambulat, & sedet, sed non ambulat: sedet igitur: vel, at non sedet, quare ambulat. Secundus, quando vtraque pars alteram habet negationem; præter negationē totius; & tunc valet ab vnius negatione ad affirmationem alterius; vt, non & Petrus non dormit, & non vigilat: at non dormit; vigilat igitur: vel, non vigilat; quare dormit: Tertius, cum vna pars affirmat, altera negat: vt, Non & Petrus deambulat, & non mouetur: at deambulat: quare mouetur: vel, non mouetur; non igitur ambulat. Idem modus erit si prior pars sit negetiua, vt, Non & Petrus mouetur & deambulat: nō mouetur autem: quare nec deambulat; vel deambulat, ergo mouetur. In his itaque omnibus, vna parte posita, tollitur altera.


Disiunctiuus affirmatus, cum scilicet particula disiunctiua non est negata, duplicem habet figuram, modo constet ex partibus repugnātibus; de hoc enim disiunctionis genere veteres scripsere. Prima ponit vnam partem, vt alteram tollat; quæ tres habet modos. Primus, cum vtraque pars affirmat; vt, aut est dies, aut nox; est autem dies, vel, est autem nox: igitur. Secundus cū vtraque negat; vt, aut dies non est, aut nox non est: non est autem dies; seu, non est nox, ergo. Tertius cum altera negat; altera affirmat; vt, aut dies est, aut sol non lucet: sed dies est, ergo sol lucet; vel, sol non lucet; ergo dies non est. Secunda, tollit alteram partem, vt alteram ponat; quæ totidē habet modos: Primi exemplum; aut est dies, aut nox: non est dies, ergo nox, vel non est nox,

quare

quare dies: Secundi, aut dies non est, aut nox nō est, sed est dies seu est nox, igitur: Tertij, aut nō est dies, aut est nox; sed non est dies, vel, non est nox, ergo. Atque hactenus de prima argumentationis specie, hoc est de syllogismo, dicta sufficiant: ad reliquas species pergamus, de quibus cum pauca dicenda sint, eas breuiter perstringemus.

De Enthymemate, Inductione, & Exemplo. Cap. XVI.

Quinct. li. 5. c. 10.



Ecunda argumentationis species, Græce Enthymema vocatur, Latine, commentum & commentatio, siue animi conceptio. Quę argumētationis forma sic appellatur, quod ex ratione communi, quā animus excogitat, aliquid probat: ad differentiam exēpli, quod ex singulari propositione sensui subiecta concludit.

Aristo. sectio. 18. q. 3. prob.

Est autem Enthymema, vt supra docuimus, imperfectus syllogismus, non ea imperfectione, quod nō clare cōcludat, sed quia in eo altera prę-missa omittitur; ideo dicitur syllogismus truncatus: quod Aristoteles ideo ex verisimilibus, & signis fieri dixit, quia eo frequenter oratores vtūtur, qui a verisimilibus, & signis argumētari solent. Interdum Enthymemata vocantur sententiæ, in quibus latenter ratio inseritur, qua plenū confici posset Enthymema, præsertim, si ex pugnantibus constent, quæ priuatim hoc nomē merentur; vt non sunt homini immortali, desideranda mortalia.

2. Prior. 27.

Cice. in Top.

Inductio, quæ & enumeratio dicitur, est oratio in qua ex singularibus propositionibus colligitur


1. Top. 10

gitur vniuersalis: per singularia intelliguntur etiam minus vniuersalia; vt cum e speciebus colligitur genus: vel etiam ex partibus totum, tum affirmando, tum negando. In qua conficienda omnes partes, ni multæ sint, numerandæ sunt: si multæ fuerint, quibusdam numeratis, addenda est particula, & sic de reliquis; vt, hic homo moritur, & ille moritur, & alij similiter: ergo omnes homines moriuntur: Christus perpessus est pedibus, manibus, capite, & cæteris membris: toto igitur corpore.

Exemplum est oratio in qua ex vno, aut pluribus singularibus aliud singulare ob similitudinē colligitur. Caussa itaque consequentiæ in exemplo est similitudo, quæ animaduertenda est, cum dissimilitudo consequutionem tollat: vt Petro sua peccata deflenti, Deus pepercit: igitur & Iudæ pepercisset, si idem fecisset: non tamen valet, Apostoli omnia in commune conferebant: ergo & nos idem facere debemus, cum non sit eadem ratio. Arist. lib. 2. Rhet. c. 20. Act.

Ex quattuor argumentationum speciebus syllogismus & enthymema ex toto partem confirmant: inductio ex parte totum: exemplū, ex parte, partem. Duæ priores species plus habent neruorum, quam aliæ posteriores, quæ magis communi hominum intelligētiæ, quam priores sunt accommodatæ. Cæterum, vt se habent syllogismi & inductiones apud Dialecticos; ita enthymemata & exempla apud Oratores. Deniq;, tres posteriores argumentationis partes, quam vim habent probandi aliquid ratione formæ, eam habent, vt sunt quidam imperfecti syllogismi, vt sequenti capite plane demonstrabitur. Arist. lib. 1. Poster.

Qua ratione omnes ſpecies argumentationis ad ſyllogiſmum reuocari poßint.
Cap. XVII.



Voniam vero ex omnibus argumẽtationis ſpeciebus ſyllogiſmus eſt optima; ideo non erit inutile, ad ꝓbationem aliarum ſpecierum, docere, quo modo ad ſyllogiſmum reuocari poſſint.

In hac ergo reductione, ſemper eadem ſeruanda eſt cõcluſio in ſyllogiſmo, quæ eſt in alijs ſpeciebus. Et quia in omnibus tribus ſpeciebus, vt ſunt argumentationes formales, ſemper reperitur medius terminus, ideo facile erit cognoſcere quomodo ſint reducendæ ad ſyllogiſmum. Etenim, ſi medium in antecedente coniungitur cum prædicato conſequentis, quod prædicatum eſt maius extremum, ſignum eſt illud antecedẽs debere eſſe maiorem propoſitionem in ſyllogiſmo: ſi vero medium iungatur cum minori extremo, id eſt cum ſubiecto conſequẽtis, ſignum eſt illud antecedens debere eſſe minorem propoſitionem.

Enthymematis reductio his modis fieri poteſt. Primo, ſi idem ſit prædicatum in antecedente, & conſequente, ſumenda eſt maior, nimirum antecedens enthymematis, & facienda eſt noua minor ex ſubiecto antecedentis, & conſequentis: Exempli gratia, ſit hoc enthymema: Bonum eſt expetendum: igitur iuſtitia eſt expetenda; integer ſit ſyllogiſmus hoc modo, Bonum eſt expetendum: iuſtitia bona: igitur iuſtitia eſt expetenda. Secundo, ſi ſubiectum ſit idem cum antecedẽte & conſequente, tunc deeſt maior, quę formãda eſt

da est ex prædicato antecedentis & consequentis: vt si sit enthymema, Virtus est honesta igitur virtus est bona; fiet syllogismus sic, Omne honestum est bonum; virtus est honesta, igitur virtus est bona. Tertio, si quod est subiectum in antecedenti sit prædicatum in consequenti, tunc deest minor, quæ formanda est ex prædicato antecedẽtis, & ex subiecto consequentis; vt, si enthymema sit tale, lignum non est viuens: ergo animal non est lignum; fit syllogismus, lignum non est viuens: animal est viuens; igitur animal non est lignum. Quarto, si quod est prædicatum in antecedente sit subiectum in consequente, tũc deest maior; quæ conficienda est ex subiecto antecedẽtis, & prædicato consequentis; vt si esset tale enthymema, Iustitia est bona: ergo bonũ est virtus; fiet syllogismus, Iustitia est virtus: iustitia est bona; ergo bonum est virtus.

Inductio reducitur ad syllogismum, si suppleatur minor, quæ semper in inductione desideratur, vt in hoc patet exemplo: ignis, aer, aqua, & terra sunt corpora simplicia: ergo omne elementum est corpus simplex: ex qua sic conficitur syllogismus, Ignis, aer, aqua, & terra sunt corpora simplicia, sed omne elementum est ignis, aer, aqua, & terra; ergo omne elementum est corpus simplex. Quæ igitur desideratur minor, fit ex subiecto antecedentis, & subiecto consequentis.

At vero exemplum aliũ habet reductionis modum: sunt enim necessarij duo discursus ad hanc reductionem faciendam: quorum primus est veluti quædam imperfecta inductio, cuius conclusio est vniuersalis propositio, quæ assumitur pro maiori sequentis syllogismi; vt in hoc patet exẽplo, Scipio iure Graccum interemit: ergo & Milo Clodium; Ex quo hæc prima cõficitur ratio-

 cinatio,

cinatio, Scipio iure interemit Graccum: sed Graccus erat euersor reip. iure igitur interimi potest euersor reip. Hæc conclusio si fiat maior alterius syllogismi inferet allati exempli conclusionem, hunc in modum: Omnis euersor reip. iure interimitur: Clodius euersor; iure igitur a Milone interemptus fuit. Sed de hoc libro hactenus; in quo quæ de forma argumentationis, & de syllogismo, deque alijs argumentationum speciebus vniuerse dicenda fuere, pro nostro instituto sufficienter explanauimus. Qui plura de syllogismi natura, & de eiusdem figuris cognoscere volet, nostram legat de syllogismi tractationem in Additamentis ad Commentaria Toleti.


Libri Quarti Finis.

INTRODVCTIONIS IN LOGICAM,

LIBER QVINTVS.

In quo agitur de tribus syllogismorum speciebus, Demonstratiuo, Topico, & Sophistico, atque de locis topicis, & sophisticis.

De Syllogismo demonstratiuo. Cap. I.



Yllogismum, veluti quoddam compositum, ex forma & materia supra constare diximus. Forma est trium terminorum, duarumque præmissarum secundum quantitatem, & qualitatē artificiosa dispositio: materia vero, vt hoc loco sumitur, sunt res ipsæ terminis, & propositionibus significatę: quę triplex est. Prima necessarium, ex qua fit syllogismus q-dam, quo aliquid necessario concluditur, ac proinde, demonstratio dicitur: secunda probabilis, ex qua fit syllogismus, qui aliquid probabiliter concludit, qui dialecticus & topicus vocatur: tertia falsa, ex qua fit syllogismus captiosus: Alij quadruplicem faciunt materiam, necessariam, eam quæ videtur necessaria, probabilem, & eam quæ videtur probabilis: ex prima fit demonstratio, ex secunda syllogismus pseudographus; qui veram mentitur demonstrationē: ex tertia Dialecticus: ex quarta sophisticus, qui dialecticum

1. Top. 1. & 8. c. 4.

fallaciter imitatur: Primus gignit scientiã, secũdus errorẽ: tertius opiniõnẽ: quartus deceptionẽ. Nos de tribus speciebus breuiter scripturi sum⁹, & præsertim de demonstratione, cuius doctrina cum sit difficilior, maiorem requirit curam, quã Institutio postulet.

1. Poster. t.30.

Scientia, igitur quæ est demonstrationis vniuerse sumptæ effectus, nihil est, quam certa, & indubitata alicuius rei cognitio: Quæ duobus modis haberi potest: primo per effectum, qui est notus sensibus, quo deuenitur in cognitionem caussæ; vt, si ex eo quod homo est admiratiuus, probares esse rationalem, cum admiratio ex ratione oriatur: secundo per caussam, cum ex cognitione caussæ venitur in cognitionẽ effectus, cuius caussa assignatur; vt, si probares hominem esse admiratiuum, quia est rationalis. Cum primo modo aliquid probamus fit quędam demonstratio, quę vocatur; Demonstratio quia, melius, Quod sit: sic dicta, quia probat rẽ existere. Quando vero altero modo aliquid probat, fit alia demonstratio, quæ dicitur, Demonstratio Propter quid; quia per eam cognoscimus caussam propter quam res est. Illa sumit pro medio effectum, hæc caussam proximam; nam, cum scimus per caussam remotam, est potius demonstratio, Quia; vt si scirem parietem non respirare, quia nõ est animal; cum proxime aliquid non respiret, quia pulmone caret: Illa, demonstratio secundum quid, hæc, demonstratio simpliciter vocatur.

1. Poster. t. 30.

Arist. loco cit.

1. Poster. t.5.

Demonstratio vniuerse sumpta hunc in modum definitur, Demonstratio est syllogismus faciens scire: dicitur syllogismus; quia est species syllogismi: dicitur faciens scire, vt distinguatur ab alijs syllogismi speciebus, per quas non acquirimus scientiam. Demonstratio Quia, est syllogismus

gismus qui facit scientiã per effectum, vel quod idem est; est syllogismus per quem scimus rem esse; vt si per Eclypsim lunę probarē esse interpositionem terræ inter Solem, & Lunã. Demonstratio propter quid, quam aliquando Arist. philosophema, vocat, quasi dicas, Philosophorũ propria ratio, est syllogismus, quo scimus rem per propriam caussam. Dicitur per propriã caussam, vt distinguatur a demonstratione Quia. Vel hoc modo, Demonstratio propter quid, est syllogismus ex propositionibus necessarijs, propriã conclusionis caussam continentibus conflatus. Quæ definitio datur per genus, & caussam materialē; Nam duodecim conditiones, quas perfectæ demonstrationi tribuit Aristoteles, quod procedere debeat ex caussis, ex primis, immediatis, veris, prioribus, notioribus, necessarijs, de omni, per se, secundum quod ipsum, ex proprijs, & perpetuis, ad duas reuocantur, quod cõstet ex caussis, & ex necessarijs: vt hæc demonstratio, Omne rationale est risiuum: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risiuus. Quare in demonstratione tria spectantur, subiectum, passio probanda de subiecto, & medium, quod debet esse caussa per quam passio conueniat subiecto, vt in allato patet exemplo. Lib. 8. Topic. 4. 1. Poster. t. 5. & seq.

Ex quibus colligeres, scire perfecte esse rem per caussam cognoscere. Quæ autem sint propositiones necessariæ, supra docuimus: quæ, & per se dicuntur, & speciatim illę in quibus definitio, vel pars definitionis dicitur de subiecto, & illæ in quarum definitione ponitur subiectum; vt cũ propria passio de suo immediato subiecto prædicatur; vt sensibile de animali, latrabile de cane. 1. Poster. t. 5. 1. Poster. t. 9.

Et quoniam omnis nostra cognitio ex pręexistente fit cognitione, antequã aliqua fiat demon- 1. Poster. t. 1.

1. Poster. t. 2. ſtratio aliquid præcognoſcendum erit. Quæ autem præcognoſcere oportet, ſunt numero tria, Principia, ſubiectum, quæſtionis probandæ, & 2. Poſt. t. 1. paſſio quæ probanda eſt. Quæſtiones quæ probari poſſunt, ſunt tres, An res ſit, Qualis ſit, & Propter quid ſit. Nam quæſtio, quid ſit, definitione, non demonſtratione terminatur.

1. Poster. tex. 24. Principia, vel ſunt communia omnibus ſcientijs, vt hoc, Impoſſibile eſt quicquam ſimul eſſe, & nõ eſſe: vel pluribus; vt, hoc quod eſt commune omnibus Mathematicis, ſi ab æqualibus ęqualia demas, æqualia reſtant: vel vni, vt hoc, Natura eſt, quod eſt phyſiologiæ proprium.

1. Poster. tex. 2. De principijs, ante demonſtrationem oportet præcognoſcere, quod ſint, ideſt quod vera ſint: de prædicato, quid ſit, ideſt quid ſignificet: de ſubiecto vtrunque, an ſit, ideſt an exiſtat, & quid nominis.

Et quoniam nullus ſyllogiſmus fit ſine medio, ſiue argumento, ideo breuiter quodnam ſit demonſtrationis medium aperiendum eſt. Argumentum igitur ſiue medium demõſtratiuum eſt inuentum neceſſarium, quod ob connexionem neceſſariam cum extremis indubitatã gignit cognitionem. Huius medij tres aſſignantur loci: locus definitionis, cauſſarum, & effectorum: ſi 1. Poster. tex. 30. ſumatur medium a definitione, & a cauſſa proxima fit demonſtratio propter quid; ſi vero ab effectis, vel a cauſſa remota, fit demonſtratio, quod ſit. Quicunqũe artifex vtitur loco cauſſarũ pro ſubiecta ſibi materia. Phyſicus per omnes cauſſas demonſtrat: Metaphyſicus per eaſdem, excepta materia: Moralis potiſſimum per finem.

1. Poster. t. 31. Denique, perfecta demonſtratio fit in primo modo primæ figuræ, vbi concluditur vniuerſalis propoſitio affirmatiua. Quo fit, vt demonſtratio

affirmans

affirmans sit nobilior negante: & illa quę aliquid directe probat nobilior ea, quæ ducit ad impossibile. Syllogismi demonstratiui proprius effectus est scientia. Scientia autem proprie sumpta, est cognitio certa, & euidens rei necessariæ per suas caussas. Per certitudinẽ differt ab opinione, quæ est notitia rei non certa, sed cum formidine contrarij. Per euidentiam, distinguitur a fide diuina, quæ licet sit certissima: tamen non est euidens, ac etiam a fide humana. Ea autẽ notitia proprie dicitur fides, quæ habetur per dicentis auctoritatẽ: Dictum est, rei necessariæ, quia scientia non est de rebus mutabilibus, vt sunt singularia, & entia per accidens. Dictum est, per caussas, quia cũ res aliqua etiam necessaria scitur, & nõ per caussas, illa cognitio non meretur scientiæ nomen. 1. Poster. tex. 42.

Ex qua definitione tres colliguntur cõditiones ad scientiam requisitæ: vt sit de re necessaria, vt sit per caussas, & vt sit certa atque euidens. Est autẽ caussa duplex, alia cognoscendi, vt est omne id, quo cognito, in alterius cognitionem ducimur; vt est effectus, quo venitur in cognitionẽ caussæ: altera essendi, vt est illa per quam res cõficitur, & ex qua constat, vt materia, & forma, quæ etiam sunt caussæ cognoscendi a priori.


Atque ex dictis colligeres, quænam sint scientiæ caussę: Forma, patet ex eius definitione paullo ante allata. Materia est eius subiectum; quod has præcipuæ habet conditiones, quod sit necessarium, vniuersale, reale, per se, idest non aggregatum per accidens, vnum vniuoce, vel analogice, cuius principia, partes, proprietates, & species in scientia tractantur: vndẽ scientia vnitatem, distinctionem, nobilitatẽq; suam, ac etiam ordinẽ sumit, quod alia sit superior, subalternantem vocant; alia inferior, quæ subalternata vocat: cuius Lib. 2. de Ani. t. 1.

subie-

ſubiectum debet contineri ſub ſubiecto ſuperioris; eique addere conditionem accidentariã, quę non debet eſse paſſio nata ab rei eſsentia, cuiuſmodi eſt numerus ſonorus, in Muſica, quæ continetur ſub Arithmetica. Ex quibus collige quę requirãtur ad hoc, vt aliquid dicatur ſcibile; hæc nimirum quod ſit vnum, per ſe, neceſsarium, & vniuerſale. Finis ſcientiæ proximus eſt cognitio ſui obiecti, remotus ſui, & Dei notitia. Efficiens proxima, eſt intellectus, qui ratiocinando ex primis notionibus per ſe notis, aliquid ignotũ colligit: vnde varij efficiuntur habitus, qui ſunt ſapientia, ſcientia prudentia, & ars, qui omnes ab habitu principiorum pendent. De quibus, ſicut de omnib[9], quæ hoc capite ſummatim diximus, alibi planius diſputatur. Et de ſyllogiſmo demõſtratiuo, hæc dicta ſufficiant.

Ariſto. 6. Eth.

De ſyllogiſmo probabili, ſiue dialectico. Cap. 11.



Syllogiſmus dialecticus eſt ille, qui vt ſupra diximus, ex propoſitionibus conſtat probabilibus. Illæ autẽ cenſentur propoſitiones probabiles quæ videntur veriſimiles; & dignæ quæ probentur, hoc eſt, tanquam veræ admittantur: quarum varia ſunt genera.

1. Top. 1. Nam aliæ ſunt, quæ ab omnibus probantur, vt parentes amare filios: homines velle vili emere: aliæ plurimis, vt præſtare diuitem eſſe, quam pauperem: aliæ ſapientibus, & horum, vel omnibus; vt honeſtum præferendum eſſe vtili: vel plurimis; vt mundum eſſe vnum, felicitatem eſſe in ſola virtute poſitam: vel ſapientiſſimis; vt mundum

Cic. de offic.

dum


dum habuisse initium; vt Plato voluit, aspectum fieri per specierum susceptionem, vt Aristotelici docent. Quare, quæ sunt præter omnium opinionem non ponuntur in probabilibus: Vt, quodlibet fieri ex quolibet: in vno esse omnia: & omnia esse vnum. Censentur etiam probabiles illæ quæ ex probabilibus colliguntur. Aristo. 1. Phys.

Syllogismus igitur ex probabilib9, aut ex vna propositione probabili, & ex alia necessaria, vel ex necessarijs, vt probabilibus sumptis, cõflatus, dicitur Dialecticus; qui interdum epicherema, idest aggressio, qđ promptus sit ad aduersarium aggrediendum, vocatur. 8. Top. 4.

Hoc syllogismi genere vtimur ad explicandas quæstiones probabiles, quæ & problemata dicũtur; quorum vtraque pars probabiliter disputari potest: ob quam caussam dicuntur etiam Theoremata, quasi consideratione dignę, cum nõ sint exploratæ. Quare, vt demonstrator vnam tantũ propositionem accipit, nimirum veram, cum solum verum demonstrari possit; ita Dialecticus qui in vtranque partem disputat, vtramuis partẽ sumit. Quo fit, vt interrogare debeat eum, quocum disserit; cum id de quo vult disputare, non sit, aut non videatur necessarium; vt vna parte a respondente cõcessa, argumẽtari possit: Vt sunt ne diuitiæ expetendæ? Quæ interrogatio propositio dicitur dialectica: quæ, vt quærenti est interrogatio, ita ratiocinanti, sumptio. Est itaque propositio dialectica, interrogatio probabilis, q̃ interrogat id quod omnibus, aut plurimis videtur. Quæstio vero dialectica est problema, de quo aut neutram in partem sentiũt homines; aut plerique, vulgus nimirum contra ac sapientes: aut sapientes contra ac plerique: aut vtrique ipsi inter se discordant. 1. Top. 3. & 9. 1. Poster. t. 5.

Et quoniã in quæstione quæritur, an aliquod prædicatum conueniat subiecto, ob quam caussam, quæsitum vocari consueuit, hinc est, vt pro varietate prædicatorum varia sint quæstionum
1. Top. 3. genera; quæ ad quattuor reuocauit Aristoteles: ad quæstionem definitionis, proprij, generis, & accidentis: si quæ sunt aliæ ad aliquam harũ reuocãtur. Hæ quæstiones dupliciter quæruntur, vel expresse; vt si quæratur, an virtus sit genus iustitiæ: vel tacite, vt si inuestigetur, an iustitia sit virtus: similiter, an solus homo sit risiuus, &, an
1. Top. homo sit risiuus, Hoc secundo modo propositæ,
t. 5. inhærentię, siuę accidentis quęstiones dicuntur,
2. Top. 2. sumendo accidens pro quocunque alicuius sub-
& 4. Top. iecti attributo. Ad quæstionem generis reuoca-
1. & 7. tur quæstio generalis differentiæ de specie infe-
Top. 3. riori; vt, an esse sensitiuum sit differentia homi-
Lib. 1. ni cum alijs animalibus cõmunis, & quęstio spe-
Top. 3. ciei respectu indiuidui; vt fuerit ne Christus verus homo? Sed iam de argumento, siue de medio syllogismi Topici dicamus.

De medio dialectico, siue de loco, quid & quotuplex sit locus. Cap. III.



Voniam humana doctrina non minus opinione, quam sciẽtia nititur, & plura sunt quæ opinione, quam quæ scientia tenentur, ideo diligẽter loci Topici, siue argumẽta probabilia cognoscenda sunt ab ijs, qui in rerum cognitione versari volunt. Quam ob caussam hanc nostræ institutionis partem paullo fusius tractabimus, non tamẽ ita late, vt certe tractari posset. Ad quod faciendum ea etiam nos mouet ratio, quod

quod magnam vtilitatem ex locorum cognitione tirones ad disputandum capiant: vt omittam, quod in scholis hæc pars, vt plurimũ, prętermitti solet: vel quia censetur a Logica diuersa, vt sane est; vel quia pro facili, & minus necessaria habetur: cum tamen, meo quidem iudicio, nihil sit in homine erudito dignius, quam huius doctrinę beneficio paratum esse in vtranque partem de aliqua re proposita erudite, subtiliterque disserere, vt alibi planius docuimus. Sed iam de re ipsa dicamus. Lib. 1. de inu. orat.

Medium dialecticum, siue argumentum, est inuentum probabile ad faciendum fidem: quod cum ambobus quæstionis extremis, aut cum altero verisimiliter coniungitur, vt eius quod probandum est assensum non penitus necessarium faciat. In hoc enim differt dialecticum argumẽtum a demonstratiuo, quod hoc cũ extremis necessario cohæret, ac proinde perfectam, & indubitatam gignit assensionẽ, illud probabiliter conuenire existimatur. Quo fit, vt argumentum demonstratiuũ, ni eius necessitas animaduertatur, possit fieri dialecticũ: quod enim necessariũ est, multorum iudicio potest putari probabile. Hinc est, vt doctrina de Inuẽtione medij dialectici inseruiat etiã ad inuenienda media necessaria. Propterea Aristoteles in altero secundæ analysis libro, agens de inuentione medij demõstratiui, ad doctrinam in Topicis traditam remisit: in quibus aliquando scriptum reliquit, Locorum tractationẽ communem esse dialectico, & Philosopho, hoc est, probabiliter, & demonstratiue disputãti. Cic. in part. 2. Poster. 14. Libr. 8. Topic. in initio.

Hoc argumentum, siue mediũ cõi appellatione per translationẽ Gręce appellatur Topos, latine locus, & libri in quibus de locorũ inuentione agitur, Topici, latine locales: quamuis locus, nõ

tam

tam argumentum, quam argumenti sedem designet, siue notam, quę vbi argumenta lateant, indicat. Propterea hunc in modum definiri solet, locus est argumenti sedes; vnde argumenta promuntur: Locis enim cognitis, facile argumenta inueniuntur. Non solum Locum, sed etiam Elementum Aristoteles per metaphoram appellauit: quia cum sit simplex, multorum est argumentorum origo; vt in ipsa tractatione patebit.

Boet. 1. de diff. Top.

Est autem Locus duplex, alter qui dicitur Maxima; alter Differentia maximæ: Locus maxima est propositio quædam communis & per se nota, cuius veritati multæ nituntur argumẽtationes; ea nimirum propositio quæ est per se nota, & probatione non eget, siue sit necessaria, vt ista, caussa posita ponit effectus, siue probabilis, vt hæc Matres amant filios; ex quarum veritate vim suam petunt argumẽta; vt hoc, ortus est sol; igitur dies est; ex illa, Posita caussa, ponitur effectus. Quarũ aliæ poni possunt in argumentatione; vt ista, Bonum est amandum, aliæ non item; vt si ab æqualibus æqualia demas, æqualia restant, quæ nõ ponitur, sed supponitur. Ista pronunciata dicuntur Maximæ, vel ob earum maximum amplexum, quia continent sub se multas alias inferiores propositiones, quasi theses, quæ hypotheses continent; vel quia sunt supra minores, & maiores.

Boet. loc. cit.

Boet.

Locus differentia maximæ, est id quo multæ maximæ diuersi ordinis inter se differunt: vt locus definitionis, per quem, quæ sub eo continentur maxime, differunt ab alijs maximis, quæ continentur sub loco caussarum, qui est alius locus differẽtiæ maximæ. Vel, vt alij definiunt, est multarum maximarum receptaculum; vt locus definitionis, qui multas complectitur maximas, vt in eorum explicatione plane patebit. Et quidem Aristo-

Aristoteles, tum in Topicis, tum in Rhetoricis priores generis locos, varias maximas, pro subie cta materia numerando, ita diligenter tractauit, vt nihil addi posse videatur; posteriores locos ve ro non ita: vnde factum est, vt qui eum sequuti sunt, licet nō eodem modo eos tractauerint, sed latius, pressiusve; tamen longe aptius, & artifi ciosius: nec enim difficile fuit inuentis addere. Et sane hic posterior modus, vt prior, & commu nior, ac breuior, est magis ad artem accommoda tus. Cum de priori locorum ordine loquimur, dicere solemus, Locum esse a definitione, a caus sis, & sic de alijs, cum vero de posteriore, dicimus Locum definitionis, & caussarum. Cice. in Top.

Qui & quot sint Loci differentiæ maximæ, Cap. IIII.



IN horum locorũ tractatione, quod ad numerum attinet, magna est au ctorum diuersitas; cum alij plures, alij pauciores numerent: quam di uersitatem etiam in eorum diuisio ne cerneres, vt libro de Inuentione primo docui mus. Nos hoc loco quorundam vestigia sequen tes, aliter atque alibi fecimus, breuitatis caussa, diuidemus, ac numerabimus. Cicer. Them. Agric.

Locorum, alij sunt artificiosi, siue intrinseci, sumpti a re ipsa de qua disputatur: alii extrinseci, seu arte carentes, qui extrinsecus assumuntur. Intrinseci, aut rem ipsam significant a qua argu menta petuntur; aut ea quæ illi sunt coniuncta; aut quæ ab ea disiuncta. In primo ordine contine tur locus Definitionis, Descriptionis, & Etymo logiæ. In secundo loci Coniugatorum, Partium, Arist. lib. 1. Rhet. c. 2. Cic. in Part.

Totius,Caussarum, Effectorum, Antecedentiũ, Consequentiũm, Præcurrentium,Comitãtium, & Subsequentium.In tertio,locus Similiũ, Maiorum,Minorum, Parium, Dissimilium, Oppositorum,&Repugnantium. Extrinseci a quibusdam numerãtur plures,nos vnum ponimus, qui est Auctoritatis; quem, sicuti & supra numeratos suis locis subdiuidemus.

Horum locorum duplex est consideratio: altera communis,cum scilicet vniuersè considerãtur,non applicati ad aliquam priuatam materiã: altera propria, cum ad aliquam certam alicuius artis materiam accommodantur; vt si locus Definitionis contrahatur, ad naturam, ad mores, ad rhetoricam,vel ad aliam quampiam artẽ. Habet enim quæcunque ars,& scientia quædã principia propria, quibus non licet vti in alia sciẽtia.

Explicatio locorum communium pertinet ad Dialecticam, quæ habet etiã quosdam proprios, locos ad suã materiã spectantes: vt sunt loci definitionis, generis,speciei, descriptionis, ꝓprij, & aliarum rerum ad dialecticam pertinentiũ ac etiã eos,quibus probantur quattuor genera quęstionũ dialecticarum,Quę sunt,quæstio generis, definitionis,proprij,& accidentis.Quo fit,vt vna pars dialecticę explicare debeat locos communes,quibus vtuntur aliæ sciẽtiæ: altera vero proprios: ideoque primo loco de communibus agẽdum nobis erit,tum de proprijs.

1.Top.7.

De loco definitionis,descriptionis,& Etymologiæ. Cap. V.

IN singulorum locorum tractatione, tria declaranda occurrunt,locus ipse, modus argumẽtandi,

tandi, & vſus: nos duo priora ſolum breuiter attingemus, tertium hic omittemus, quod tamen alibi diligenter expoſuimus. Et cum ſupra quid & quotuplex ſit definitio dictum ſit, hic ſolũ de modo argumentandi agemus. Quo loco illud animaduertendum eſt, quod erit vſui in omnibus locis, cum aliquid probare volumus, ſpectanda eſſe quæſtionis extrema, ſubiectum, & attributũ, & ex parte vtriuſque poſſe argumẽta duci; & hoc vel affirmando, vel negando: & vt per definitionem poſſumus probare aliquid de definito, ita per definitum aliquid de definitione: ſed hic modus non eſt ita conſuetus, vt prior, quem qui tenet, hunc etiam tenebit. Libr. de Inu. Libr. 1. c. vlt.

Sed iam ſingulos argumentãdi modos ob ocu los ponamus. Proponatur hæc quæſtio probãda, An rhetorica ſit ars, vel inertia: cuius partẽ aientem poſſum probare primo a definitione attributi, hoc modo, Rhetorica eſt recta ratio aliquid faciendi: ars igitur: A definitione ſubiecti. Doctrina bene dicendi eſt ars: Rhetorica igitur ars. A definitione vtriuſque, Rhetorica eſt doctrina bene dicendi, quę doctrina eſt ratio recte aliquid faciendi, & quod eſt huiuſmodi eſt ars: Rhetorica igitur ars. Partem vero negantem ſic probares, Rhetorica non eſt ineptitudo aliquid faciendi: non eſt igitur inertia: vel, Doctrina bene dicendi non eſt, inertia: igitur nec ineptitudo aliquid faciendi. Vel ſi ſumeres contrarium Rhetoricæ, quæ eſt infantia, & ſic diſputares. Infantia, non eſt ratio aliquid recte agendi: igitur nec ars. 2. Top. 2. loc. 3.

Huc reuocatur locus Differentiæ, quæ ſpeciẽ conſtituit; vnde eodem modo argueres: vt ſi per eſſe rationale probares aliquid de homine. Loci cõmunes, ſiue maximę huius loci, ſunt iſti. Cui cõuenit, aut non conuenit definitio, etiam defini-

tum: quod conuenit, vel nō conuenit definitioni, etiam definito. Si definitioni conuenit, aut nō conuenit definitio, etiam definitum. In quibus tribus maximis poteſtate continentur ſex, ſi diſtinguas affirmantes & negantes: & totidem formares, ſi per definitum probares aliquid de definitione.

6. Top. 3. Boet. libr. 2. de diff. Top. A deſcriptione totidem modis argumētamur, qui ijſdem nitunt maximis, mutato nomine definitionis in deſcriptionem: vt ſi probares aliquid de dialectica, ab hac deſcriptione, quod ſit inſtrumentum veri, & falſi indagandi.

Ad hūc locum reuocatur locus Proprietatis; vt ſi probares Fortitudinem eſſe virtutem, quia eſt per ſe laudabilis, quod eſt virtutis proprium: & ſuperficiem eſſe quantam, quia eſt diuiſibilis.

1. Top. 2. loc. 18. Huic affinis eſt locus Etymologiæ, hoc eſt definitionis nominis, qui habet eoſdem argumentandi modos, & eoſdem locos communes. Cæterum tunc recte ex hoc loco diſputamus cum notatio recurrit; vt fere accidit in notatione nominum communium, quæ ab aliqua proprietate rerum quarū ſunt nomina ducuntur; vt ſunt Rex, Canonicus, Chriſtianus, Cōſul, Procurator, Tutor, Monachus, & ſimilia.

2. Top. c. 2. loc. 8. Io. Bap. Porta. Huc reuocares locum quem Tranſumptionis vocant, cum ad probandum aliquid de re obſcuro vocabulo deſignata, adhibetur vocabulū magis notum; vt ſi probare velles, Magiam non eſſe deſpiciendam, quia ſapientia, non eſt deſpiciēda. Magia enim deſignat rerum occultarum doctrinam. Nec me latet eſſe quoſdam, qui tunc Tranſumptionem proprie eſſe dicunt, cum a nomine per metaphoram accepto, argumentamur ad proprium; vt, Leo rugiens eſt fugiēdus; igitur & diabolus: Chriſtus Leo eſt; rex igitur.

Cæſar. Burid. Io. Fab.

De

De loco coniugatorum. Cap. VI.



Nter locos secundi ordinis primus occurrit locus cōiugatorum; sunt autem coniugata, nomina, vel verba, aut aduerbia ab aliquo denominante deflexa; quæ orta ab vno varie commutantur; vt sapientia, sapiens, sapere, sapienter. Et quoniam in coniugatis potius vocis significatio, quam terminatio & similitudo attendenda est, ab eorum consortio non sunt remouenda, quæ voce non consentiunt, modo significatione sint similia; vt, nocumentum, & officere: sicuti nec etiam vocabula coniuncta; vt esse virtute præditum, & cum virtute viuere. Hic locus, licet vsui interdum sit: tamen rarius vsurpatur, cum coniugata eodem modo nota esse videantur. 2. Top. 3. loc. 29. Cic. 2. de orat.

Ex hoc loco dupliciter argumētamur; primo affirmando, hoc modo; sapientia laudabilis; igitur & sapienter agere: secundo refellendo, sapientia non est vituperanda, igitur nec sapientes vituperandi. Hic sunt duo loci communes, Primus, quod conuenit vni coniugatorum, conuenit & alijs: secundus, quod non cohæret cum vno ex coniugatis, neque cum alijs cohærebit. Si iniustitia displicet, cur iniuste agere non displiceat?

Sed hic cauendum est, ne decipiamur in sumptione coniugati, accipiendo vnum pro alio; vt officere, pro coniugato officij: & somniculosus pro coniugato somnij, cui respondet dormire, & dormiens. Rursus cauenda est vocis æquiuocatio: vnde male arguebat ille, qui dixit; cum homines simus, humana solum curemus: quia, Humana in illo consequente designant, non quæ ad hominem pertinent, sed caduca, vt a cœlestibus di- Arist. 10. Eth. ca. 7. & 1. Met. c. 2.


ſtinguuntur. Poſtremo videndum eſt, an cõiugatorum attributa conuenienter aſſignentur; hoc eſt, videre oportet, an ſingulis ſubiectis prædicata recte reſpondeant; vnde hoc non valet, Fortitudo eſt virtus: igitur qui fortiter agit cum virtute, vel ſtudioſe agit; cum poſſit quis aggredi fortia, cum aliqua mala circũſtantia: at hoc valeret, Fortiter agit: igitur ſtudioſe agit. Similiter hoc non valet, Doctrina eſt diſciplina: ergo qui docet, diſcit: ſed dicendum eſſet, Ergo quod eſt affectum doctrina, eſt affectum diſciplina.

Ariſto. 2. Eth. ca. 4.

Itaque, cum de locis, hoc eſt, de reſpectibus argumentorum, ſiue mediorum ad concluſiones agitur, ſpectandus eſt ſenſus antecedentis, & accommodate ad illud colligi debet concluſio: ſiquidem conſequentiæ in quibus rerum coniunctio ſpectatur, non ſunt formales, ſed materiales: quod non vident qui de hoc loco multa documenta tradunt.

De loco totius, & partium.

Cap. VII.



Voniam hi duo loci ſunt inter ſe affecti, hoc eſt relationem habent, ideo ſimul tractantur: & quot modis aliquid dicitur totum, totidem aliquid dicetur pars. Totum autem dicitur aliquid his modis.

Boet. 2. de diff. Top.

Totum ſignificatione, vt eſt vox quę multa ſignificat: quantum, ſiue integrum, vt totum corpus humanum: totum eſſentiale Phyſicum, cõpoſitum ex materia, & forma: totum eſſentiale Metaphyſicum, compoſitum ex genere, & differentia: totum vniuerſale, vt eſt vox aliqua communis,

munis, vt animal, virtus, ſubſtantia: cui aliqui ſubijciunt totum in quantitate, ſeu quantitate, & eſt idem quod totum vniuerſale, ideſt uox cōmunis cū ſigno vniuerſali; vt omne animal, cui reſpondet pars in quantitate, ideſt quidquid ſub illa multitudine cōtinetur: Cui ſimilia ſunt hec alia tota; totum in loco; vt aduerbium vniuerſale loci, Vbique; cuius partes ſunt, hic, ibi: totum in tempore; vt aduerbium vniuerſale temporis, ſemper; cuius partes ſunt, hodie, nunc, cras: & totum in modo, hoc eſt vniuerſale ſine adictione, vt homo, album, cuius pars eſt idem cum aliqua adiectione; vt, homo iuſtus, album ſecundū dentes, &c. Id autem quod adijcitur, non debet tollere, aut minuere ſignificationem totius; vt ſi diceres homo poteſtate, ſeu in potentia, homo lapideus, & albus ſecundum dentes. Vnde adiectio non debet impedire, quin nomē totius poſſit affirmari de tota aggregatione. Quamuis autē tot modis aliquid dicatur totum, & pars: tamen quod attinet ad vſum argumentandi, omittitur totum ſignificatione, & totum eſſentiale Metaphyſicum. Et quoniam, quoad vim concludendi, eadem eſt prorſus ratio totius integri, & totius eſſentialis Phyſici, quod conſtat ex materia, & forma; ideo, quod de vno dicitur, de alio intelligendū eſt, quod attinet ad modos argumentandi. Quare ex duplici toto, vel partium genere argumenta ſumentur; ex toto integro, & toto vniuerſali, quod eſt aliqua vox, ſeu res communionis ratione inferiorum. Totū multitudinis, loci, & temporis reuocātur ad locum totius integri, vt eſt totum quantum, ratione ſuarum partium: totum vero in modo, ad totum vniuerſale.

Circa totum integrale illud animaduertendū eſt in eo eſſe partes aliquas neceſſarias ſine qui-

bus omnibus, vel vna non poteſt conſiſtere; vt in homine caput, in domo, tectum & parietes: aliquas vero non neceſſarias ad conſiſtentiam, ſed ad perfectionem; vt in homine, digiti, manus: ex quibus argumentamur ad probandam, vel refellendã rei perfectionem. Rurſus hoc totum non exiſtit ex partibus quocunque modo conſideratis, ex quacunque earum multitudine, ſed ex partibus certo ordine conſtitutis; vt patet de ciuitate, quæ fit ex multis hominibus, in vnum collectis, & ſubordinatis, ac etiam de exercitu, & domo. His ita explicatis, facile erit intelligere modos argumentandi ex his duobus locis, quos ſimul afferemus.

Primus ab affirmatione totius ad omnes partes ſimul, & ad ſingulas: vt, eſt domus, ergo eſt tectum, parietes, & fundamentum. Secundus ab omnibus partibus neceſſarijs ad totum; vt conſtat, capite, thorace, & alijs membris neceſſarijs: igitur eſt homo. Tertius a negatione totius ad negationem omnium partium diſiunctiue; vt, non eſt domus, igitur deeſt, vel fundamentum, vel parietes, vel tectum. Quartus a negatione vnius partis neceſſariæ ad negationem totius; vt nõ eſt tectum; igitur nec domus. His eiſdem modis argueres ab alijs totis, quę ad hoc reuocari diximꝰ: vt Deus eſt vbique, & ſemper: ergo in templo, & nunc eſt: Angelus eſt in cęlo; ergo nõ eſt nullibi: eſt in cœlo, ergo non vbique. Vbi nota, tempus, & locus particularis poſſe dici quoddã totum, vt aliquando, reſpectu huius, vel illius temporis, & alicubi, reſpectu huius, vel illius loci; in quibus ſunt ijdem arguendi modi. Hæ argumentandi formæ his duobus locis communibus continentur, poſitis omnibus partibus integrantibus, ponitur totum, & contra, Sublata quacunque

2. Top. 2. loco cit.

que parte integrali, tollitur totum, & contra. Iisdem modis argueres a toto perfecto, & partibus perficientibus, a quibus non licet arguere, ad totum integrum negando.

A toto vniuersali, & partibus subiectiuis his modis arguimus. Primo affirmando ex parte prędicati, a toto ad singulas partes disiũctiue; vt, homo est animal: igitur rationale, vel irrationale. Secundo affirmando ex parte subiecti, animal est rationale, igitur homo, vel brutũ erit rationale. Tertio ex parte prædicati negando a toto ad singulas partes: lapis non est animal: igitur nec homo nec brutum. Quarto ex parte subiecti negãdo, ad partes disiunctiue; vt, animal non est expers rationis: igitur, vel homo, vel brutum non est expers rationis. Totidem modis argumentari licet a partibus ad totum, quorum exempla facile est formare. Iisdem modis argueres a toto in modo: sed cum procedimus a toto, totum sumitur cum vniuersalitate; cum vero a parte totum particulariter sumitur; vt Deus neminem vult damnari; igitur nec alienigenas: Deus vult impium hominem damnari: igitur vult hominem damnari. Hic etiam animaduerteres totum particulare, respectum singularium: vt, aliquis homo, respectu huius, vel illius hominis: indefinitum enim quoddam totum est: ibi sunt ijdem arguendi modi.

Loci communes sunt isti: Posita quacunque parte subiecta ponitur totum, & contra: sublatis omnibus partibus subiectis tollitur totum, & cõtra, posito toto, &c. 2. Top. 2. loc. 10 & 11. & c. 4.

Ad extremum, vt tollantur sophismata quę in huius loci vsu possent contingere, nota, pronuntiatum illud, Quidquid conuenit toti, etiam parti conuenit, & contra, intelligendum esse de illis

prædicatis quæ vtrique possunt esse communia: Nam, si propria fuerint partium, non poterunt affirmari de toto; vt si diceretur, corpus & animus sunt principia rei naturalis: ergo & homo; vel homo non est animal, quia corpus & animus hominis non sunt animal.

De loco caussæ materialis, & eius effectus. Cap. VIII.

Lib. 1.



Vot & quæ sint caussæ alibi docuimus: quare hoc loco ista supponuntur: & solum ea de singulis caussarum generibus attingemus, quę ad cognoscendum modum argumentandi sunt necessaria.

A materia auspicando dicimus, Materiam, diuidi in eam ex qua aliquid fit, vt ex ligno statua: & in eam in qua aliquid inest, vt in subiecto: vt figura in ligno: atque in eam circa quam fit actio, vel quam agens tractat: quo modo Grammaticæ materia est oratio, & laudis virtutis actio: omnis enim laus virtutis in actione cõsistit. Rursus, materia duplex est, altera permanens, quæ secũdum suam naturam in re manet effecta; quo modo lapides sunt materia domus, & pannus vestis: altera non permanens, qua ratione farina est materia panis. Item materia duplex, altera proxima, vt est illa ex qua proxime res fit, vel quam artifex tractat: altera remota, ea nimirum quæ supponitur, vt ligna in siluis quæ faber tignarius supponit. Hic animaduertendũ est per hunc locũ nos probare rem esse, vel non esse, esse posse, fierique, ac etiam caussarum attributa de ipsis effectis, vt in exemplis patebit.

A caus-

A caussa materiali hæc petuntur argumenta: Primo, a positione caussæ probatur effectum esse posse; vt sunt, ligna, lapides, & cęmenta: igitur domus fieri potest: quamuis hic modus non simpliciter cōcludat, cum præter materiam alię sint necessariæ caussæ. Secundo, negando, a materia permanenti cum simplici verbo: vt, ferrum non est; igitur nec gladius: a transeunti cum verbo p̄teriti temporis ad præsentiam effectus; non fuit farina, non est igitur panis: valebit etiam in præsenti, si verbum operationem designet; non est farina, panis igitur non fit. Loci cōmunes, siue maximæ, Posita caussa materiali, potest esse effect⁹: Remota materia permanenti, remouetur effectus: Tertio, ab effectu caussæ materialis permanentis affirmando, non autem negando; vt est tabula; igitur est lignum, non tamen contra. In materia transeunti, solum sequitur caussam pręcessisse; vt est oximel: igitur fuit acetum & mel. Postremo ab attributis materię, & effectus; vt lignū est aridum: facile igitur incendi potest. Homo cōstat ex elemētis: igitur corruptioni est obnoxius. Plumbum est densum, plurimū igitur habet materiæ: Dialectica non est eadem cum logica; habent igitur materiam diuersam.

Huc aliqui reuocant argumenta ducta a natura locorum, in quibus res sunt, aut nascūtur; vt, pisces degunt in aqua; humidi igitur: natus in Aphrica; igitur niger, breuiorisque vitæ.

De loco caussæ formalis, & eius effectus. Cap. IX.

FOrma triplex est; prima essentialis, quæ rem in certa specie constituit, a qua rei proprieta-

tes

tes manant; vt anima hominis: secunda accidentaria; vt est omne accidens ratione sui subiecti, vt candor respectu corporis candidi, & figura respectu lapidis: tertia externa, vt est caussa exemplaris, ad cuius similitudinem efficitur aliquid; qualis est idea domus in mente architecti. Huc reuocares quidquid recipiẽdo aliquid illud informat; cuiusmodi sunt ea quibus fiunt opera fusilia.

Ex hoc loco, præter alios cõmunes argumentandi modos, est hic alius, vt a naturæ formæ arguere liceat ad conditionem materiæ, cum forma nõ solum sit caussa compositi, sed etiam materiæ: quæcunque enim forma præscriptam ac certam postulat materiam, quam informet, quã tractet, aut in qua versetur. A forma argumentamur affirmando, & negando, ad probandum rẽ existere, vel sic esse agere, & sic agere, aut aliquod attributum munusque rei conuenire, vt in subiectis patebit exemplis. Animus adhuc est in corpore: igitur adhuc homo est: animus recessit a corpore; non igitur est homo, sed cadauer. Candor est in corpore; candidum igitur est: Anima est qua viuimus, sentimus, & intelligimus: igitur corpus quod informare debet, varijs organis distinctum esse oportet: anima ęterna est, appetitque vniri cum corpore; igitur aliquando cũ eo vnietur. Animus immortalis, a rebus igitur corruptioni obnoxijs euocandus. Canis non potest ridere, siue non ridet: caret igitur anima rationis capace. Theologia est doctrina quę definitam habet materiam: igitur Theologi non est de rebus Physicis, aut more Physico disserere. Dialectica non est scientia: eam igitur peruertunt, qui tanquam scientiam tractãt: ab arte enim quæ est forma accidentaria probare licet quæ sint artificium munera. Anima est forma intelligens:

Lib. 2. de Ani.

1. Rhet.

igitur

igitur homo est intelligens. Rotūdum est lignū; igitur volubile. Hęc figura est omnium capacissima; quare & rotunda: Homo factus est ad imaginem Dei: rectus igitur.

Et ab effectu formæ; spongia sentit: anima igitur sentiente prædita: cœlum facile voluitur; rotundum igitur: aliæ sunt bruti, aliæ hominis proprietates: formas ergo habent diuersas: characteres sunt inequales; quare & eorum typi. Hic homo benefacit inimicis: parenti igitur Deo similis: honeste, liberaliterque viuit: ex honestis igitur parentibus natus: contra, ex vtraque familia nobilis; honeste ergo viuet.

Maximæ huius loci, Posita forma, ponitur res ipsa, eiusque proprietates, & attributa. Remota forma, tollitur res eiusque proprij effectus, & attributiones: Posito, aut remoto effectu formali, ponitur, aut tollitur forma.

Ad hunc locum nonnulli reuocant locum a coniugatis, cum coniugatio oriatur a forma: quo etiam reuocares locum, quem Aristoteles vocat ab inesse, & denominari, quia res denominatur a forma: Sed, vt ex hoc loco bonum argumentum ducatur, foma non debet esse in parte tantum, vt candor in dentibus: nec breui tempore, vt rubor in facie: nec remisse, vt calor in aqua. Neque forma quocunque modo denominat: nam actio est in passo; quod non denominatur agēs, sed actū; & locus non dicitur locatum, sed locans. 2, Top. 1.

Denique, aliqui hunc reuocant locum ab Appositione, cum aliqua res propter appositionem alterius rei est talis, oportet, vt ista sit magis talis, modo talis denominationis sit capax: ex quo loco hoc ductum est argumentum, Aqua est calida ob ignem: igitur ignis est magis calidus: amat inimicum pp Deum: igit' magis Deū amat. 2. Top. 4. loc. 34.

De loco caussæ efficientis, generationis, & vsus. *Cap. X.*



Aussa efficiens, quæ est illa a qua primo incipit operatio, alia est necessaria, vt est ea quam necessario sequitur effectus, qui a nulla alia caussa oriri potest; quo mō sol est caussa diei: alia sufficiens, quæ sola potest producere effectum; qui tamen ab alia potest proficisci caussa; quo pacto veneni sumptio est caussa mortis, & ignis caussa caloris. Rursus caussa effectrix, alia est princeps, qualis est Deus in omni genere
2.Phys.2. operationum; vel in certo genere, vt architectus inter fabros, & Rex in regno: alia iuuans, quæ caussæ principi inseruit, vt artifices inferiores architecto, & caussę naturales auctori naturę Deo: ad quas reuocares, caussas instrumentarias, consulentes, & remouentes prohibens, & alias ad effectum producendum quouis modo famulantes: Alia denique conseruans, aut perimens. Rursus, caussa efficiens, aut efficit actu, vt est illa quę effectum, & operationem actu existentem designat; vt ædificans, legens; aut potestate, vt est illa quæ effectum actionemve non significat, vt ędificator, lector.

Hic locus hos suppeditat argumentandi modos. Primus modus a caussa necessaria, & solitaria affirmando, & negando; interposita est terra
Aristo. de resp. 1. & 6. inter Solem, & Lunam, est igitur lunæ defectio: nō est ista interpositio, igitur nec defectus. Christus resurrexit, igitur & nos resurgemus. Et ab effectu ad caussam; Dies est; igitur sol ortus est: dies non est: sol igitur nondum ortus est: pisces non respirant: carent ergo pulmonibus. Loci

com-

communes, Posita, aut ablata caussa necessaria, & solitaria, ponitur, aut tollitur effectus. Posito, aut ablato effectu talis caussæ, caussa ponitur, aut aufertur.

Secundus, a caussa sufficienti affirmãdo, & ab effectu negando; vt, venenũ sumpsit; igitur mortuus est: non interijt; igitur venenũ non sumpsit. Locicões, posita caussa sufficienti, ponitur effectus; Remoto effectu, remouetur caussa. Tertius a caussa actu agente argumẽtamur affirmãdo, & negando, sed ex parte effectus addendũ est verbũ quo actio designetur; vt, legens est; igitur lectio fit: fit lectio, ergo legens est. Quartus, a caussa agere potente, ad probandũ effectum fieri posse, affirmãdo, positis tñ alijs requisitis; vt, ædificator est; quare potest fieri ędificium: est ędificiũ; igitur ædificator fuit. Harũ argumentationum cões locos quisque facile formaret. A caussa conseruãte sic argueres: pisces in aquis natant; diutius igitur viuent: sunt extra aquam, viuere igitur nõ poterũt: Ciuitas discordijs vacat; cõseruabitur igitur: regnum est inter se diuisum, labetur ergo.

Argumentamur etiam sępissime a natura, & ab attributis caussæ efficientis ea affirmando, aut negando de effectis; vt hic mũdus factus fuit ab optimo artifice, perfectus igitur: natura nihil agit frustra: nullus igitur effectus vanus in natura: discipulus vtitur magistro ignaro: nõ igitur euadet doctus. Libr. 2. Phys. & 1. Polit.

Ad hunc locum reuocares locum a generatione, & interitu, quem alij seorsim tractãt: cum generare, aut interire sit effectus quidam efficiẽtis caussæ: Qui locus hos habet communes lócos, a qualitate caussarum sumptos, Cuius generatio bona, & ipsum bonum; per quod attributũ, etiam alia similia intelligẽda sunt; vt pulchrum, 2. Topic. 2. loc. 31.


&

& similia. Ex quo loco probares Christum fuisse bonum, cum eius natiuitatis bonitatem multa signa declarauerint: Contra vero, cuius corruptio mala, & ipsum bonum: ex quo loco eandem Recuperatoris nostri bonitatem confirmares; cum etiam res sensu carentes, quam iniquus eius fuerit interitus ostenderint. Bonum; hoc est melius, fuisset Iudæ si natus non fuisset: malus igitur erat: Fures suspendere vtile; ipsi igitur perniciosi.

Atque idem diceres de loco, Vsus, qui iisdem maximis nititur. Imagines colere vtile; igitur imagines non sunt inutiles.

Sed in his modis cauendum est, ne argumentemur ab eo quod per accidens, & aliunde, hoc est, non ex natura rei, conuenit; quia fieri potest, vt rei bonæ interitus sit vtilis; qualis fuit nobis Christi mors, pro. vt accepta fuit a Patre in nostrorum peccatorum remissionem: & mors peccatorum dicitur pessima, ob miseram conditio-
Psal. 33. nem cum qua peccatores ex hac vita abeunt, post quam ad æternos cruciatus condemnantur. Similiter cauendum est, ne a rei abusu arguamus; vt illi faciunt; qui contra imaginum adoratioñe impie, & ignoranter pugnant.

De loco caussæ finalis eiusque effectus. Cap. XI.


Finis, qui nihil aliud est quam id cuius gratia aliquid fit, mediorum, cęterarumque caussarum ratio esse dicitur. Etenim materia non potest perfici sine forma, & forma esse nō potest sine efficiente, & efficiens nō mouetur ad agen-

agendum, nisi proposito fine: Hinc est, vt ex fine, & caussæ, & media probentur, sed magis media, siue destinata, quam caussæ: ad quorum existentiam, vel qualitatem probandā hoc loco vtimur; qui his maximis nititur, cuius finis bonus, & ipsum bonum, cuius finis malus, & ipsum malum: modo sumatur finis per se, vt est ille cuius caussa res est instituta, vel ad quem sua natura, refert.

Et quoniam in finis ratione tria considerãtur, res quæ est finis, & cuius caussa aliquid fit; id, siue is, cui est finis, vel res quæ tendit in finem, & finis adeptio, siue possessio, ideo triplex assignatur finis, quod, cui, & quo: vt, auari finis, quod.i. res, est aurum: finis cui, est ipse, cum sibi velit aurum: finis, quo, est possessio & conseruatio auri. Vnde ratione primi, auarus dicitur laborare propter aurum: ratione secūdi, sibi laborare, vel potius alijs, cum auarus, quæ ab alijs abstrahit, sibiipsi neget: ratione tertij, habere cor suum in thesauro, contemplari numos in arca: cum ignoret quid valeat numus, quem præbeat vsum. At vero verus finis hominis, vt quod est Deus: finis, cui, ipsemet homo: quo, diuinæ naturæ inspectio & fruitio. Aristotel. 2. Physic. D. Tho. 1.2. Senec. Horat.

Ex fine his modis argumentamur: primo, melior est Deus, quam diuitiæ; igitur melius est sperare in Deo, quam in diuitijs: Bona est rerum naturalium cognitio: igitur physiologię operam dare bonum erit: lucrum turpe: igitur studere lucri caussa sordidum: quod qui faciunt Cerdones nominantur: Secundo, a ratione finis ad rationem caussarum; gladius debet scindere; igitur debet esse ex ferro: igitur & acutus: domus debet hominem defendere ab iniurijs cœli: igitur eam ex lapidibus, solidave materia constare oportet: anteriores dentes debent scindere, & molares te- 2. Physic.

rere,

rere, ergo vtrique ex materia prædura, sed illi acuti, hi lati esse debuere. Tertio, a desiderio finis, & ab eius qualitate, ad mediorũ vsum, qualitatemque; Vis ad vitam ingredi? serua igitur mãdata: vis filium optime erudiri? optimum indaga præceptorem. Huc facit Horatianum illud,

Matt. 18.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque, puer, sudauit, & alsit.
Abstinuit Venere, & Baccho, extimuitque magistrum.

Postremo, a fine remouenda sunt omnia media, siue destinata extranea, & non idonea: Vis Deum videre? caue igitur ne corde vtaris immundo. affectas sapientiam? otium igitur vita.

Matt. 5.

Ab effectibus, hæc argumenta petuntur; quærit occasiones calumniandi amicum; ab eo igitur vult recedere: lapides cęmentaque congregat: ædificare igitur vult.

Prou. 18.


In summa, vt hunc caussarum locum concludamus, omnes argumentandi modos his tribus maximis complecti licet, Caussa potens, & effectus in potentia, simul sunt, aut non sunt, positis tamen omnibus necessarijs: Caussa in actu, & effectus in actu simul sunt, aut non sunt, fuerunt ve, quamuis non semper inferatur esse perfectũ ipsius effectus, sed tantum fieri, vt accidere solet in quibusdam caussis efficiẽtibus, & in caussa finali. Differt autem hic locus a superiore: quia ibi sumitur caussa, vt edit effectum, hic vero absolute vt est in rerũ natura. Denique, quorũ efficiẽtia bona, vel mala, ipsa bona, vel mala: & quorũ interimentia bona, ipsa mala; contra vero, quorum interimentia mala, ipsa bona: quę pronunciata, vt intelligenda sint, patet ex dictis. Atque ex ijs quę dicta sunt cognosci potest quam late pateat hic postremus caussarum locus.

2. Phys. 3.

2. Top. 3. loc. 31.

De

De locis antecedentium & consequentium. *Cap. XII.*



Ntecedentium & consequentiũ appellatione intelliguntur hoc loco ea, quæ necessario sequuntur, aut præcedunt id quod in quæstionem venit; vt si quæratur, an aliqua mulier pepererit, & inueniantur ea quæ partum necessario antecedunt, & quę sequuntur; ex quibus argumentum conficiatur.

Sunt autem antecedentium, & consequentiũ genera duo: alterum quod antecedit, vel sequit, aut ordine attributionis; quo modo, homo, antecedit animal, aut ordine temporis, qua ratione veneni sumptio antecedit mortem, quæ necessario venenatam potionem sequitur: alterum, est res aliqua quæ necessario danda est, si aliud dandum sit: qua ratione florere antecedit, fructuum editionem, & fundamentum parietes. Vnde animal, & mors erunt consequētia prioris generis, fructus vero, & parietes posterioris. Prioris generis antecedentia in eo differunt ab antecedentibus posterioris, quod illa antecedunt, aut sequũtur simpliciter: hæc vero ex suppositione. Kursus antecedentium & consequentium duo sunt genera; alia quæ recurrunt, idest sunt conuertibilia, vt testatorem esse mortuum, & testamentum vires habere: alia nō item; vt esse iustitiam, & esse virtutem, peperisse & concepisse.

Non me latet esse quosdam qui hunc locũ reijciunt, vel quia argumenta quæ hinc petuntur ad alios locos reuocare contingit, vel quia in omni loco, & argumento, opus est antecedente & cōsequente; sed isti non intelligunt quid nomine Rodol.

antecedentium & consequentium intelligendū sit: & argumenta quæ ex eis ducūtur, interdum ad alium locum reuocari non posse, vt in subiectis patebit exemplis.

Ab antecedentibus simpliciter ordine attributionis sunt hæc exempla: Filius est, igitur & hæres: Fortitudo est honesta; expetibilis igit: ignauia non est rationi consentanea; igitur nec virtus: iugulatus fuit, morietur igitur. Si antecedentia, & consequentia erunt reciproca, licebit argumentari a negatione antecedētis ad negationem consequentis; & a positione consequentis ad positionem antecedentis; vt non est caritate informatus; igitur non amat Deum supra omnia: Deū supra omnia amat; caritate igitur præditus: Deū non amat præ omnibus, caritate igitur orbatus.

2. Top. 2. loc. 13. Loci communes quibus allatæ nituntur argumētationes sunt isti, Posito antecedente, necessario ponitur consequens: Consequenti sublato necessario, tollitur antecedens.

Et antecedentium & consequentium secundi ordinis hæc sunt exempla; Non concipiet; igitur nec pariet: pariet, igitur concipiet: ædificium est futurum; igitur iacienda sunt fundamenta: fundamenta non fient; igitur nec ædificium erit: nō adolescet; igitur nec senescet; senescet, adolescet igitur: decoxit, aliquid ergo possidebat: non possidebat; quare nec decoxit: beatus fieri debet, credat & bene agat oportet. Maximæ, sublato antecedente tollitur consequens: Posito consequenti, ponitur antecedens.

Lib. 2. poster. c. 12.

De

De loco adiunctorum, siue circunstantium. *Cap. XIII.*



HIc locus in eo a superiori discrepat, quod ex adiunctis nõ necessario cõcludimus, sicuti ex antecedentibus, & consequentibus, vt in exemplis patebit.


Adiunctorum, siue connexorum alia sunt antecedentia, vt sunt ea quæ rem antecedunt, vt factum homicidium, antecedunt mores, educatio, prouocatio, armorumque præparatio: alia comitantia, vt opportunitas, locus, tempus, & cętera quæ cum re ipsa esse solent: alia consequentia; vt ensis cruore infectus, pallor, fuga, publicus rumor, & similia. Atque hic locus non tã dialecticus, quam oratorius est. Adiuncta, licet nihil necessario conficiant; tamen maximam probabilitatem faciunt, si frequententur. Cic. in Top.

Huc referũtur signa physionomica, ex quibus probabiliter conijcimus hominum mores, ac ẽt signa naturalia rerum contingentium: quo modo ex Iridis aspectu argumentamur ad futuram pluuiam: ex vespertino cœlo, prædicimus futuri diei qualitatem. Huc etiam pertinent auguria, & portenta: & suspiciones omnes. Aristo. in Phys. lib. 2. Prior.

Huius loci hæc sunt exẽpla. A præcurrẽtibus, affectus fuit iniuria, verberauit igitur: cum improbis versatur, peruertetur igitur. A comitantibus, Bacchanalia fiunt; igitur & rixæ: Perperam viuit; igitur conscientię morsibus cruciatur: vtitur fronte rotunda; insensatus ergo: parua; igitur indocilis. Ex consequentibus, peccatum tristitiam parit; ab eo igitur abstine: visus est fugere; homicidium igitur perpetrauit: citatus ad iu- Louan. in li. 2. prio.

dicium non venit; reus igitur. Locus communis, qualia sunt adiuncta, talem verisimile est rem esse, quam circunstant. Sed de locis coniunctis hactenus: sequuntur loci disiuncti.

De loco similium & dissimilium. Cap. XIIII.



1. Topic. 14. Imilium nomine in præsentia intelliguntur omnia ea, quæ eandẽ qualitatem, aut quantitatem, aut essentiam communem habent, aut in aliqua proportione cõueniunt; vt duo candida, duo æqualia corpora, duæ virtutum siue animalium species, & tranquillitas maris & cordis, & mens respectu animi, & oculus respectu corporis Nam candidum simile est candido, homo homini, ratione formæ; & mens oculo, ratione proportionis & analogiæ. Et quamuis hic locus plurimum conferat ad docendum, & ad rem obscuram illustrandam: tamen non est negandum, vt aliqui faciunt, vim habere ad probandũ, vt ipsa experientia docet; cum similibus sępe aduersarij renitentes trahãtur. Huius loci hæc sunt exempla. (Rodol. li 1. c. 26.)

A similibus qualitate, nix ob candorem aciem videndi offendit: igitur & cygnus: A forma substantiali, equus sentit: igitur & Leo: equus non est capax rationis: quare nec leo, cum vterque sit animal brutum. A similibus proportione; Vt se habet auriga ad currum, ita Rex ad regnum: atqui auriga debet assistere semper currui: igitur & Rex regno: Vt se habet seruus ad dominum, ita sensus ad rationem: at seruus debet domino parere: igitur & sensus rationi. (Psal.)

Huc

Huc referres argumenta ducta a transmutata proportione; cum positis quattuor terminis, quã proportionem duos priores habere ostendimus ad duos posteriores, eãdem inter primum & tertium, & inter secundum & quartum esse colligimus: exempli gratia, vt se habent duo ad quattuor, ita sex ad duodecim, in proportione dupla: ergo vt se habent duo ad sex, ita quattuor ad duodecim, in proportione tripla. Vt se habet homo ad ridere; ita canis ad latrare: in vtraq; enim propositione propria passio dicitur de subiecto: ergo vt se habet homo ad canem; ita ridere ad latrare: vbi vtraque prædicatio est disparata.

Cum argumentamur a simili, sumenda est similitudo in eo, ratione cuius prædicatum inest; aliter fieret argumentatio captiosa; vt si diceres, Nix non sentit: igitur nec cygnus: quia albedo in qua sunt similia, non est sentiendi caussa. Huius loci maximę hæ sunt, Quod in vno simili valet, valet & in cæteris. Quod non valet in vno, nec in alijs. Seu, similium & proportionalium idem est iudicium. 2. Top.c. 2.loc. 32.

Late patet hic locus ad colligenda attributa vnius analogi ex attributis alterius: vt ex attributis Dei ad attributa Principis & Rectoris: ex attributis pastoris ad attributa Episcopi. Qua ratione elegantissime Psalmo vigesimosecundo, disseruit regius vates.

Reuocãt huc aliqui paria & æqualia: ac etiam totum exemplorum genus, parabolas, & apologos.


Placet huic loco subiicere locum dissimiliũ, quamuis ad dissentaneos pertineat, cum ex dictis facile intelligi possit. Sũt ergo dissimilia ea, quibus vt talia sunt nec vnum, nec plura quæ inter se proportionem habeant, sunt cõmunia; vt ho-

mo, & bellua, iustus & impius, fidelis & infidelis: Ex quo loco hæc petuntur argumenta: si iustus quia est iustus, legem seruat: impius, quia impius legem transgreditur: si prudentiæ humanæ est esse sollicitum de crastino: prudentiæ Christianæ non erit de crastino cogitare: si belluæ est non prouidere in posterum, hominis erit prospicere in futurum.

Huius loci pronunciata sunt hæc, Dissimilibus dissimilia conueniũt: quod vni dissimilium, quia dissimile est, conuenit, alteri non cõueniet. Valet hic locus magis ad resistendum, si quis dissimilitudinem assignet, quam ad impugnãdum. Vnde si quis probaret, filios non debere ex amore obedire parentibus, quia serui ob timoré id faciũt, resistendum esset ob dissimilem rationem.

De loco comparatorum.

Cap. XV.



Væ ex locis hucusque expositis ducuntur rationes, ab aliqua quæstionis parte sumuntur, hoc est a prædicati, vel subiecti definitione, notatione, caussis, & alijs iam dictis: nunc ventum est ad eos, ex quibus promuntur argumenta affecta ad totam quæstionem conclusionemve.

Etenim, maiora dicũtur ea quæ maiorem habent probabilitatem, quam id quod probandum, siue concludendum est: minora vero contra, quę minorem, & paria quæ parem. A maioribus argumentamur solum negando, hoc modo, Non potuit vincerẽ vnum; igitur nec plures vincere poterit: Grammaticam discere non potuit; igitur nec

nec Logicā discet: si quæ sub sensum cadunt non percipis; multo minus quæ sola intelligentia attingūtur: si nō es pro teipso solicitus modo, quis erit pro te in futuro? Locus cōmunis, si quod verisimilius videtur, non est; neque id erit, quod minus est verisimile.

A minoribus argumentamur solum affirmādo, hoc pacto, surgunt de nocte latrones, vt furentur; igitur & discipuli ad studendum surgere deberent: vicit quattuor; igitur & duos vincere poterit: multum spernit, igitur & modicum parui faciet. Locus communis, si quod minus verisimile, est verum est, & id etiam erit, quod est minus verisimile. 2. Top.

A paribus probando, & confutando argumētamur, hoc modo; si iudicari nō vis, iudicare noli: si vis amari, ama: Qui patrem contemnit, maledictus est: igitur & qui matrem. Locus communis, si data propositio est vera, vel falsa, ea etiam quæ videtur æque probabilis, vera aut falsa erit. 2. Top 4.


Huc pertinet axioma illud Aristotelis, Si incrementum prædicati sequitur incremētum subiecti, prædicatum sequetur subiectum: quod si illud non sequitur, neque hoc: vnde si virtus maior est melior, aut maxima, virtus erit bona. Qđ sic reciprocatur, si predicatum sequitur subiectū, incrementum prædicati sequetur incrementum subiecti: quod si illud non sequitur, neque hoc: si facere iniuriam est malum; ergo facere maiorē, vel maximam erit peius, & pessimum. Nam, vt simpliciter ad simpliciter se habet; ita magis ad magis, & maximum ad maximum: modo prædicatum conueniat per se: alias nihil conficeretur; vt, si modice deābulare est vtile: ergo magis deābulare, magis vtile: vsus vini bonus; ergo maxi- 2. Topic. c.4.

mus vsus, optimus: quia maiori vsui non conuenit per se, vt sit peior, vel maximo, vt sit pessimus, alias omnis vini vsus esset malus.

Huc pertinet locus a comparatione, cũ a comparatiuo argumentamur affirmando ad positiuũ, vt leo est fortior homine: ergo leo est fortis: & a positiuo ad comparatiuum negando; vt formica non est fortis, ergo non est leone fortior. Quando autem comparatio non est absoluta, sed relata, non valet: vt melius est peccare leuiter, quam grauiter: illud igitur bonum. Ad hunc locum reuocant aliqui locum a transsumptione; vt si quis probaret scientiam esse contrariorũ, ex eo quod prius probasset, gustum contrariorum esse.

Circa hunc locum animaduertendum est, maiora, minora & paria posse spectari, tum ex parte attributi, tum subiecti, tum vtriusque; vt si dicas, Imperator non potuit expugnare castrum: igitur nec Dux expugnabit vrbem: Christus innocens perpessus est pro nobis maximas pęnas: ergo peccator pro se paruas perpeti debet: vbi innocens cum peccatore, & maximę pœnę cum paruis cõparantur.

De loco oppositorum. *Cap. XVI.*



OPpositorum genera, vt supra libro secundo docuimus, sunt quatuor: alia relata, vt maritus, & vxor; alia contraria, vt calidum, & frigidum: alia priuantia, vt cœcum, & videns; alia contradicentia; vt homo est bonus, homo non est bonus.

Habet hic locus duas maximas omnibus cõ-

munes

munes, Prima, de quocunque affirmatur alterũ oppositorum, negatur alterum: si Petrus est pater Francisci; igitur nõ est eius filius: si est calore affectus, non est ergo frigidus: si videt, non igitur cæcus: si bonus, non est nõ bonus. At de quo negatur vnum, non necessario affirmatur alterum; vt si non est magister, non sequitur, vt sit discipulus: si non est candidum, nõ sequitur, ergo terrum; cum dentur aliqua contraria quæ habent medium. Secũda, si alterum e duobus inter se oppositis sequitur alterum e duobus alijs, alterum ex prioribus sequetur alterum ex posterioribus: quod si hoc non sequitur, neque illud, vt ecce, in relate oppositis, si de patre dicitur relatiuum maioris comparationis: de filio dicetur relatiuum minoris, & si hoc de filio non dicitur, neque illud de patre. In contrarijs, si virtus est laudanda, vitium erit vituperandum; & si hoc non est vituperandum, nec illa laudanda. In priuantibus, si aspectus est sensus: cęcitas erit priuatio sensus, si non erit hoc, neque illud. In contradicentibus, animal & non animal, homo & non homo sunt contradicentia: si omnis homo est animal: omne non animal erit non homo: quod si non omne non animal esset nõ homo, nec omnis homo esset animal.

Ex quo exemplo intelligeres, in contradictorijs alio modo fieri consequentiam, quam in alijs oppositis. In his enim fit eodem ordine: in illis ordine inuerso, hoc est, in contradicentibus antecedens inchoatur in vna complicatione, consequẽs in altera; dicimus enim Omnis homo est animal: ergo omne non animal est nõ homo; nõ autem, omne non homo, &c. Verum in relatiuis consequentia tractatur directe: in contradicentibus indirecte: in contrarijs, & priuatiuis, nunc

vno,


vno, nunc altero modo. Vnde non recte inferres, Qui est Logicus, est scientia præditus: ergo qui est logica priuatus, non est scientia præditus: sed qui est scientia priuatus non est Logicus. Vt autem allata maxima (Si alterum sequitur alterum) locum habeat, intelligēda est cum hac moderatione, Nisi etiam sequatur vtrunque; vt patet de vitio quod ita sequitur auaritiam, vt sequatur etiam prodigalitatem: Vnde non recte colligeretur, auaritia est vitium; ergo prodigalitas virtus.

Præter communes locos iam positos, sunt alij loci priuati, Relatiuorū hi, Relata simul ponuntur, & tolluntur: Simul cognoscuntur, aut ignorantur: Nam posito maiore, ponitur minus, & illo determinate cognito, hoc cognoscitur. Contrariorum hi, Illud non est in subiecto, quo inhærente, duo contraria essent simul. Illud nō est in aliquo subiecto, cuius contrarium eidem inesse non potest: vt, error non potest esse in voluntate, quia in ea non potest esse scientia. Sed hoc non valet in ijs contrarijs, in quibus alterum natura inest, vt in niue candor. Pro contrarijs immediatis, priuantibus, & contradicentibus; Si alterum contrarium non cōuenit, alterum necessario conueniet. Sed in contrarijs subintelligendum est subiectum natura aptum, & in priuantibus tempus a natura constitutum, quia non potest dici priuatum, quod non attingit tempus, in quo debet habere actum, vt catulus ante nonum diem.

2. Top. c. 3. loc. 23. & 24.

De

De loco repugnantium, siue diuersorum, ac disparatorum. Cap. XVII.



Epugnantia ea dicuntur, quæ licet non sint opposita; tamen de eadem re affirmari non queunt: vnde omnia opposita sunt repugnantia, sed non omnia repugnantia opposita; vt homo, & bellua: lapis, & lignum, substantia & accidens, amare & vituperare, aut nō iuuare spiritus & ossa, esse parentem, & filiorum obliuisci. Sunt itaque disparata diuersæ species, vel genera, aut res, quæ inter se vniuersaliter negant; vt nullus homo est lapis: igitur nullus lapis est homo.

Ex hoc loco solum argumentamur affirmando, hoc modo. Homo est; igitur non bellua; corpus est, non igitur spiritus: amat, non ergo vituperat: seruit mundo, non ergo Deo. Quæ argumenta hac nituntur maxima; Cui conuenit vnū ex repugnantibus, non conuenit alterum, vel reliqua. Hoc etiam axioma ad hūc locum pertinet, Si repugnantia sint immediata, sub aliquo genere, cui non conuenit alterum, vel reliqua præter vnum, reliquum conuenire necesse est; sub quo axiomate continetur locus a diuisione, qui hunc habet vsum, vt enumeratis membris diuidētibus de aliqua re, affirmetur vnum, negetur alterum, vel reliqua; si vero negetur alterum, vel reliqua, vno excepto, illud affirmari debeat; vt ecce Plāta viuit, non anima intelligente, vel sentiente; igitur vegetante: vnum est elementum leuissimum, & hoc est ignis; non igitur aer, aqua, vel terra: caduca diligit, non igitur æterna.

Arist. 2. Top. loc. 19.

De loco auctoritatis. *Cap. XVIII.*



Nus est locus externus, qui arte caret ex quo argumenta, ab auctoritate siue testimonio sumuntur.

Est autem auctoritas duplex, altera diuina, cui non potest subesse falsum; ac proinde suppeditat argumēta certissima: altera humana, quæ duo requirit; rei notitiā quæ habetur scientia, vel experientia, & virtus, siue probitas: illa vt homo sciat, quid dicat; hęc, vt quod sentit syncere affirmet. Cęterum ipsa interdum veritas per se loquitur, nullo probitatis fulta præsidio; vt accidit in prouerbijs, quæ communi vsu ab hominibus vsurpantur; cum tamē pauci sint boni. Sunt autem quædam quæ solo vsu auctoritatem habent; vt in grammatica vocabulorū significationes, & phrases, & in rep. multi ritus. Humana auctoritas interdum est certissima, vt si quis per solam auctoritatem credat, Gallos esse: interdum firma, sed non penitus certa, alias infirma pro diuersitate, & ratione eorum, a quibus auctoritas sumitur.

Horat.

Cic. lib. 1. de natu. Deor.

Hic locus duas habet maximas, quarum prima est, In vsu verborum, sequenda est vulgi consuetudo: apud quem, vt dixit Horatius, est norma loquendi. Quare, si quis salutaret, aut appellaret homines ex vulgi consuetudine, eius auctoritate se tueri posset. Secunda in sententia de rebus ferendis, homini in sua arte perito credendum est: vt, Plato dixit animos esse immortales: corruptionis igitur expertes. Quare loquendum est cum multis, sentiendum est cum paucis: ac proinde in rebus iudicandis sapiētium sequendum est iudicium. Appellentur quę valetudinem conseruant, aut instaurant salubria;

2. Top. 2. loc. 5.

In poet.

Cic. Tusc. 1.

bria; quæ autem ista sint, Medicorum confirmemus sententia.

Ex hoc loco argumentamur affirmãdo & negando, hoc modo; Astrologi dicunt solem esse multibus partibus terra maiorem: ita igitur credendum: Iidem dicunt, cœlum non esse figuræ quadratæ: non ergo quadratum. In hunc enim modum argumentamur ab auctoritate negando, non hoc modo, Plato hoc non dixit, igitur non ita est: quia, vt ex nihilo nihil fit, ita ex negatione nihil argumentando concluditur.

Aristo. 2. de cœl.

Non me latet esse quosdam locos, extrinsecos, quos inartificiosos vocant, vt sunt fama, testes, præiudicia, tabulæ, tormenta, & iusiurandum, quos, cum sint Oratori proprij missos facio. Et de hoc loco, & de tota locorũ tractatione hucusque.

Sequeretur modo, vt ageremus, de locis quibus comparata tractatur quæstio, de quibus Aristoteles in Topicis disputauit: sed quia magis Oratori inseruiunt, quam Dialectico, ideo eos omitto: qui cognoscere eos volet, Aristotelem consulat, aut nostrum de Inuentione oratoria & dialectica opus.

Hoc etiã loco agi posset de locis qui sunt Dialectico proprij, quibus probantur quæstiones dialecticæ, vt est quæstio Generis, Definitionis, & aliæ, quos etiã ideo prætermitto, quia ex ijs quæ de genere, de definitione, & de locis communibus diximus, qui loci valeant ad illas quæstiones probandas intelligi potest: ac etiam, quia eorum explicatio longa & implicata est, ac proinde in alium reijcienda locum. Restat igitur vt aliquid de recto locorum vsu scribamus, de quo late libro paullo ante citato egimus.

Lib. 4.

Perion. in sua Dial.

De

De recto locorũ doctrinaeque dialectica vsu.

Cap. XIX.



Vi artis Dialecticę, & locorum dialecticorum doctrina recte vti voluerit; quas subijciam admonitiones, eas animaduertat, & animaduersas seruet.

Prima, locorum numerum, naturam, distinctionem, eorumque argumentandi modos probe teneat.

Cicer. lib. 2. orat. Secũda, eos ad vsum redigat, ita vt eos penitus cognitos, & tractatos habeat; & quasi ob oculos positos videat: qua diligentia fiet, vt non sit opus ad singulos, cum necessitas postulabit, pulsare, aut sæpius eos euocare, sed ipsi sua se sponte non vocati offerent.

Tertia, cum aliquid probandum proponitur, quæstionis subiectum, & attributũ inspiciamus; & vtriusque partis, nomen, definitionem, denominationem, partes, caussas, effecta, antecedentia, consequentia, adiuncta, similia, dissimilia, & pugnantia intueamur: ex quibus varia eruentur argumenta, quę nobis copiam magnam ad disputandum præbebunt.

Quarta, cauendum est, ne per inanem contẽtionem ex quocunque loco velimus argumenta eruere, ad probandam quamcunque quæstionem; cum non omnes loci ad quodcunque probandum conferant: nec enim omnia habẽt caussas, partes, opposita, & cætera, quæ argumentis locum, ac sedem præbent.

Quincta, si quis voluerit copiosius differere, plures adeat locos, & plura sumat argumenta: quibus non solum rem probare, sed etiam per argumen-

mentorum conglobationem amplificare, ac etiã per figurarum ornamenta quæ ab ipsis quoque locis petuntur, exornare poterit.

Sexta, quoniam loci topici non continent res ipsas, sed solũ sunt notæ, quæ vbi res lateant indicant; ideo, cum sint rerum vacui, propriorum locorum doctrina replendi sunt: quod qui nõ faciunt, frustra Dialecticam discũt. Qui igitur perfectus euadere vult Dialecticus, hoc est artifex, qui de omni re proposita probabiliter disserere queat, propriorum locorum doctrinam audiendo, legendo, scribendoque sibi comparet.

Septima, in acquirenda propriorum locorum notitia, ad singulas artes, siue ad res quæ in singulis artibus tractantur accedat; atque hunc in modum ex illis communes locos sibi comparet. Primum verborum ambiguorum, & illius artis propriorũ significationes discat: Deinde prima principia ex quibus tota doctrina pendet percipiat: Postea totam rẽ vniuerse cognoscat, partes, caussas, & proprietates: Post hæc ad species accedat: Idque faciat, in Physicis, in Metaphysicis, & in Moralibus, inque alijs artibus & in tota encyclopędia. Qui ergo mentem communium locorum & propriorum doctrina compleuerit, is tandem vere Dialecticus nuncupari poterit. Qua autem ratione inuentis locis, cum ad disputandum scribendumve accedendum erit, vtendũ sit, sequentibus admonitionibus docebo.

Octaua, locorum collocandorum instruendorumque ratio omnino est animaduertenda, cũ non minus arte disponenda, quam inuenienda sint argumenta, hoc est, omnia quæ ad rem aliquam explicandam sunt necessaria.

Est autem ordo duplex, alter naturæ, alter doctrinæ: nam ordo temporis, quem seruat histo-

ria,

ria, nihil ad noſtrum inſtitutũ pertinet. Naturæ ordo eſt ille quem naturam in ſuis operibus tenere cernimus: qui duplex eſt, vnus generationis, quo a minus perfectis ad perfectiora, & a cauſſis ad effecta proceditur: alter perfectionis, ſiue intentionis, cum ab effectis ad cauſſas progredimur. In ordine generationis continetur cõpoſitio, & diuiſio: Tũc compoſitione vtimur, cũ a partibus integrantibus ad totum progredimur: diuiſione vero, cum a ſuperioribus ad inferiora deſcẽdimus. ſub ordine perfectionis continetur reſolutio, & collectio: reſolutione vtimur, cum a toto integro ad partes integrantes, & ab effectis ad cauſſas procedimus: collectione vero cum ab inferioribus ad ſuperiora aſcendimus. In ordine perfectionis ille etiam continetur, qui dignitatis appellatur; cum a rebus magis dignis ad minus dignas pergimus; cui alius contrarius opponitur ordo. Ordo doctrinæ eſt cum ab ijs rebus auſpicamur a quibus commodius pro rerum ac perſonarum ratione progrediendum iudicamus, vt cũ ea prius tractantur, quę ad ſequentium cognitionem conferunt, & quantum fieri poteſt, a facilioribus ad difficiliora procedimus, quod pręſtare ſolemus, dum vel ordinem generationis, vel perfectionis, vel ſimul vtrunque ſeruamus. Cũ vero quæ tractamus, ſunt, vel ęque nota, vel perfecta, vel facilia, pro arbitrio hoc, vel illo vtimur ordine. Atque ex his clariora redduntur, quæ de methodo libro primo breuiter ſcripſimus.

Nona, in docendo, compoſitionis, & diuiſionis ordines ſeruandi ſunt, vt ipſam, quantum fieri poteſt, ſequamur naturam: quam docendi rationem varijs in locis ſeruauit Ariſtoteles dũ a partibus ad tota, & a communioribus ad minus cõmunia progreſſus eſt: quem etiam libenter retinent

1. Phyſ. 2. de gener. anim. c 3.

nent

nent Mathematici, dum vnam demõstrationem ex alia conficiunt. At vero in Inuentione, resolutione & collectione vti par est: quare, a rebus sensibus manifestis, & a singularibus ad vniuersalia ire oportet. Resolutione vsus est Aristot. in primo primæ analysis libro, vbi syllogismum in propositionem, & propositionem in terminos resoluit: in lib. de animalibus, dum ab eorum historia ad partes progreditur, & alijs in locis. Collectione delectatus est Socrates; qui cum se nihil scire profiteretur, eum tenebat ordinem, qui inuenire volentibus aptus est: quem Aristoteles in principijs scientiarum inueniendis seruandum docuit. Quando autem de rebus disparatis, & perfectione, dignitateque inæqualibus agendum erit, perfectionis ordo retinendus est, aut a notioribus inchoandum.

Cap. 33.

Libr. de mun. ad Alex.

Libr. 2. post. c. 18.

Libr. 1. Met. c. 1.

Decima, cum tota aliqua res nobis explicãda erit, hunc fere ordinem seruare licebit; agendo de nomine, existẽtia, natura, caussa propter quã est, effectu officiove, partibus, speciebus, similibus, & de contrarijs. Vel certe omnia reuocẽtur ad quattuor quæstiones, an sit, quid sit, quale sit, & propter quid sit, id est per quas caussas res efficiatur, aut acquiratur: Vt, si de aliqua virtute esset differendum, eius demonstranda esset necessitas: obiectum & subiectum, vnde eius patefieret natura: quæ conditiones & affectiones: quibus modis comparari, & quo pacto eius impedimenta remoueri possent. In tradenda itaq; de re quapiam doctrina, simplici quæstione proposita, dicta methodus vsurpanda erit.

Lib. 2. poster. c. 1.

Vndecima, cum aliqua simplex conclusio, siue quæstio, nostra ve opinio argumentis confirmanda est, hoc ordine argumenta constituenda erunt; vt firmiora in principio, leuiora in medio

Cic. in Or-

præsertim conglobata ponantur, firmissima vero in postremo loco ponantur.

Vndecima, si quid differendo confutandum erit, triplici metho lo vti licebit. Prima, cum veritas priore loco confirmatur, & ex veritate cognita, aliorum errata refelluntur: secunda, cum prius aliorum opiniones referuntur, & simul refelluntur, & postea quid sit tenendum statuitur: tertia, cum prius in vtranque partem ponuntur argumenta, cum sententijs: postea veritas explicatur & probatur: & tandem argumenta contraria refelluntur: quem fere ordinem omnes scholæ nunc sequũtur, & Aristoteles ad initium tertij metaphysici approbat.

Arist. 3. Physi. c. 2. Aristo. 1. Physic. in tract. de prin. 1. de Ani. Aristo. 4. Physic. in tract. de loco vac. temp.

In sententijs vero & rationibus afferendis, a leuibus & inanibus, sicuti etiam a minutorũ scriptorum citatione abstinendum erit.

Duodecima, quæ de methodis in differendo, aut scribendo seruandis diximus, non sunt pro sacris legibus habẽda, sed cum rei de qua agimus circunstantiæ aliter suadebunt, a præscriptis formulis recedere cum ratione licebit: ad quod faciendum id etiam nos moueat, ne eandem viam semper tenendo in similitudinem satietatis & fastidij procreatricem incidamus. Plura qui de locorũ & Dialecticæ doctrinæ vsu cognoscere voluerit, nostros legat de Inuentione libros. Nos ad aliam huius libri partem explicandam stylum conuertemus.

De syllogismo sophistico, & qui dicantur sophistæ. Cap. XX.

DE tribus syllogismorum generibus ex materia sumptis, tertium nobis explicandum restat;

ſtat; quo in errorem deceptionemq; inducimur: quod non ideo cognoſcendum eſt, vt eo vtamur, ſed vt caueamus: de quo in eum finem agitur, in quem a Medicis de veneno diſputatur.

Vt ergo ſunt duo bonorum ſyllogiſmorum genera, vnum quo ſcientia, alterum quo opinio gignitur; ita & duo inutilium atque malorum ſyllogiſmorum ſpecies. Prima eius ſyllogiſmi qui verã demonſtrationis ſpeciépræſefert, ſed re vera non eſt demonſtratio, vt cum principia ſumũtur tanquam vera, quæ tamen ſunt falſa: ex quibus oritur ſyllogiſmus ille, qui Pſeudographus, quaſi dicas falſæ deſcriptionis, vocatur. Qui tũc fit, cum alicuius artis, ſiue ſcientiæ principia & axiomata latius ſumuntur, quam ſumi debent, & late ſumpta, putantur vera & neceſſaria, cum tamen non ſint: Vt ecce, Omne bonum eſt per ſe amandum; quod ſolum de honeſto eſt verum: ex nihilo nihil fit, quod eſt falſum, niſi fieri ſumatur pro generari: omnes ſemicirculi ſunt æquales; quod non eſt verum, niſi intelligatur de partibus eiuſdem circuli. ſed hic ſyllogiſmus, rarius occurrit.

Secunda, eius qui ſyllogiſmum probabilẽ imitari, & referre falſo conatur, dum ex probabilibus, probabilia colligere nititur, quæ tamen vere ſunt falſa: ac proinde deceptorius captioſus, inſidioſus, ſophiſma, & ſophiſticus vocari ſolet: quo ij vtuntur, qui cum vere non ſapiant, captioſis argumentis contendendo ſapientes videri volunt, a quo ſophiſtæ, id eſt ſapientiæ vani oſtentatores vocantur. Quod nomẽ olim bene ſonabat, & idem deſignabat, quod ſapiẽs: poſtea apud Philoſophos traductum eſt ad deſignandos eos qui perperam philoſophantur, & non tam veritatẽ, veramque ſapientiam, quam quæſtum, & vanam ſapien-

Plat. in Sophiſta.

sapiẽtiæ speciẽ contentiose disputãdo quærebãt, qui non tam esse, quam per inanem contentionẽ & redargutionem sapientes videri volebant: quorum redargutio non vera, sed falsa est: ac proinde Elenchos, id est reprehensio sophistica, hoc est falsa vocatur. At vero apud Oratores sophistæ illi vocantur, qui solum pingendæ orationis præcepta tradunt, rerumque notitia posthabita, solum verborum flosculos consectantur.

Cice. de Orat.

Vnde oriatur & quo tendat omnis sophisticus syllogismus; & qui sint loci sophistici. Cap. XXI.



Cum in syllogismo duo considerentur, vt alias diximus, materia & forma; ideo omnis deceptio, aut ex materia, aut ex forma, aut ex vtroque simul nascitur: Sed, vt plurimum, ex materia, hoc est ex rerum falsitate. Ex materia hoc modo, quidquid non habes amisisti: regnum non habes: ergo regnum amisisti: maior videtur vera, sed nõ est, & ita peccat in materia. Item, quod ridet os habet: pratũ ridet; habet igitur os: minor apparet probabilis ob æquiuocationẽ verbi ridere; Ex forma hoc modo, leo est animal: homo est animal; igitur homo est leo; peccatur in forma, quia in secũda figura ex puris affirmatiuis nihil vi formæ concluditur. Ex vtroque, hoc pacto, Quidquid non amisisti habes: hũc calamum habes (cũ nimirum quẽ amissum inuenit) igitur non amisisti: Maior propositio ratione materiæ est captiosa: Formã est mala, in secunda figura ex duabus affirmãtibus. Ceterum, propriè syllogismus sophisticus ille dicitur, qui ex mate-

Lib. 4.

ria constat vitiosa: licet sophista, qui omnem viam tentat, vt decipiat, omni genere captionis vtatur.

Vt autem sophista suum consequatur finē, hos sibi fines proponit, quos Metas vocant, ad quas eum quocum disputat, ducere conatur. Primus, Redargutio, idest prænegatæ rei in eadem disputatione concessio vi argumenti falsi; quod additur ad differentiam veri elenchi; qui facit redargutionem sine fallacia: vt si quis neget dormientem videre; sophista contra sic arguat; Quisquis habet oculos videt: dormiens habet oculos: igitur dormiens videt. Secundus, falsum, hoc est, id quod est aperte falsum, & pro tali habetur; vt, Quod non repugnat esse potest: at bonū fieri malum non repugnat: igitur quod est bonum, potest esse malum. Tertius, inopinabile, seu increpabile, siue sit falsum, siue verum, modo pro inopinabili ab ijs habeatur, quibuscum, aut apud quos disputatur; vt si apud imperitam multitudinem, quis probaret, florentem diuitem esse infelicem; aut coram rusticis, solem esse terræ globo multo maiorem; Vt, bonum non parit malum: veritas bona, & odium malum: igitur veritas odium nō parit: quod est præter omnium opinionē. Quartus, Solœcismus, idest orationis vitium contra grammaticos canones; vt, Omnis homo est sciētiæ studiosus: omnis mulier est homo: igitur omnis mulier est studiosus scientiæ. Quinctus, Nugatio, idest inanis, & inepta eiusdem verbi in eadem propositione repetitio, in hunc finem comparata, vt aduersarius ab auditoribus irrideatur; vt, Iste nasus est nasus simus: sed simus idem est quod nasus simus: ergo iste nasus est nasus nasus simus. Omnes hi fines, siue metæ, vno communi nomine vocantur, Non ens: quia respondens co-


Diu. Th. lib. de fal. c. 4.

gitur concedere id, quod non eſt.

Vt autē ad has metas ſophiſta perueniat, ſuos habet locos, ex quibus ad capiendum ſua promit argumenta: quorum alij dictione, hoc eſt aliqua voce decipiunt, qui ſunt Aequiuocatio, Amphibolia, Accentus, Compoſitio, Diuiſio, & Figura dictionis; alij extra dictionem, ſeu in rebus conſiſtunt: qui ſunt, locus Accidentis, eius quod ſimpliciter dicitur, & ſecundum quid: Ignorationis Elenchi, Petitionis principij, Conſequentis, Nō cauſſæ, vt Cauſſæ; Plurium interrogationum vt vnius.

Antequam autem ſingulos locos expono, animaduertendum eſt, in fallacia, ideſt in argumento fallaci duo conſiderari poſſe: primum ſimilitudinem apparentem ad verum locum, quę ſimilitudo mouet ad errorem; quæ dicitur Cauſſa apparentiæ: alterum diſſimilitudinem quæ dicitur Cauſſa non exiſtentiæ; vt in locorum expoſitione patebit.

De fallacia æquiuocationis. Cap. XXII.


Allacia ęquiuocationis eſt locus idoneus ad decipiendum vocis ęquiuocatione; cum ſcilicet deceptio orić ex vnitate vocis plura ſignificantis. Vnde vnitas eſt cauſſa apparentiæ, quia videtur vniuoca: pluralitas ſignificationis eſt cauſſa non exiſtentiæ. Quæ æquiuocatio poteſt latere, vel in extremis terminis, vel in medio: In maiori, hoc modo, Grammatici diſcunt: Grāmatici ſunt docti: quare q̄ docti ſunt diſcūt. Diſcere, eſt æquiuocum, pro intelligere, ſeu audire, & pro acquiſitione ſcientiæ. In minori, qui ſurge-

surgebat stat: sedens surgebat: ergo sedēs stat. Sedens, in minori sumitur disiūctim pro eo qui sedet, aut sedebat: in conclusione, pro eo tantum qui stat. In medio, omne corpus est substantia: omnis quantitas est corpus: ergo omnis quātitas est substantia. Corpus, sumitur, vel pro composito ex partibus substantialibus, vel pro sola quantitate cum trina dimensione.

Huius loci tres sunt species, siue modi: prim⁹, cum vox est mere æquiuoca: vt canis, taurus, gallus: secundus cum vox est analoga; vt ridere, de homine & prato, lętum de animalibus & segetibus: tertius, cum variatur ampliatio, vel aliqua proprietas grammaticalis, & cum aliqua dictio varie construitur.

De fallacia Amphiboliæ. Cap. XXIII.



Allacia amphiboliæ, siue ambiguitatis est locus ad decipiendū idoneus ex orationis ambiguitate: cum scilicet oratio est vna, sed sensus non vnus: caussa apparētiæ, est vnitas orationis, Caussa non existentiæ, sensuū diuersitas.

Hic locus tres habet captionis formas: Prima est cum eadem manet orationis constructio; vt quicquid est Ciceronis, possidetur a Cicerone: sed hæc Rhetorica est Ciceronis: igitᵘ possidetur a Cicerone. Genitiuus, Ciceronis, sumitur, vel possessiue, vel efficienter, i. vt dicit caussam efficientem.

Secunda, cum mutatur constructio, vt si mutetur casus; vt, Quod quis videt, hoc videt: tu lapidem vides: ergo lapis videt: vbi est dubiū, an Hoc, sit accusandi casus, ita vt significet, quod vr̄: an vero auferendi casus, designādo id quo videtur.

Item, Quos volo me capere, volo me capiãt, ſed hoſtes volo me capere: igitur volo, vt hoſtes me capiant; vbi ſuppoſitum mutatur in appoſitũ, id-eſt agens in patiens, & contra.

Tertia, cum oratio plura ſignificat, ſed vnum principaliter, alterũ minus principaliter, & proprie; vt, Cum litus aratur, terra ſcinditur: ſed cũ rudis docetur, litus aratur: ergo cum rudis docetur, terra ſcinditur. Litus arare, proprie eſt terrã ſcindere, improprie vero, indocilem erudire.

De fallacia Compoſitionis, & Diuiſionis. Cap. XXIIII.

Herſeric. Bernard. Carmelit. opuſ. de ſen. cõp.



Ompoſitio, & diuiſio ſunt duæ captionis ſpecies; q̃ ideo vno capite a nobis explicabunt, qđ vnius cognitio ex alterius cognitione pendeat.

Eſt ergo compoſitionis fallacia locus idoneus ad decipiẽdum ratione ſenſus cõpoſiti falſi: Diuiſionis vero eſt locus aptus ad decipiendum ratione ſenſus diuiſi falſi: Committitur ergo hæc fallacia, cum in aliqua conſequentia datur antecedens verum; & conſequens falſum, ex eo quod ab vno ſenſu tranſitur ad alterum, quod non licet. Tunc itaque ſpeciatim contingit fallacia Compoſitionis, cum conſequens falſum ſequitur ex antecedenti in ſenſu compoſito falſo, & tribuitur eidem antecedenti in ſenſũ diuiſo vero: vel, cum concluſio quæ ſequitur in ſenſu diuiſo vera, ſumitur, in ſenſu cõpoſito falſa. Tunc vero fit fallacia Diuiſionis, cũ conſequens falſum, qđ ſequitur ex ſenſu diuiſo falſo, tribuitur eidẽ in ſenſu diuiſo vero: vel cũ cõcluſionẽ in ſenſu diuiſo ſumimus, quę in cõpoſito ſu-

to sumēda erat; vt in afferendis patebit exemplis.

Vtriusque sensus tres sunt species: prima quæ fit in enunciationibus modalibus: secūda, in orationibus, quarum partes nectūtur particulis, Et, Aut, Vel, alijsque similibus: tertia, in oratione, in qua aliqua dictio cum diuersis vocibus cōnecti potest; vt in singularum expositione docebo.

Prima ergo species tunc accidit, cū integra, siue formalis significatio vnius termini applicatur integræ significationi alterius; vt, si dicatur, Cādidū potest esse nigrū; fiet in hac modali sensus compositus, si formalis significatio, Nigri, applicetur corpori habenti candorem, & erit sensus falsus: diuisus vero, si applicetur solum corpori, siue significato materiali; vt sit sensus, corpus qd habet candorem, potest recipere nigrorem, & hic sensus erit verus.

In modalibus vterque sensus duobus modis reperiri potest: primo ex parte dicti: secūdo ex parte modi. Ex parte dicti tunc fit sensus cōpositus, qn̄ copula connectit formalia prædicata, vt in allato exemplo, nigrorē cum candore: tunc diuisus; cū formale prędicatū applicatur materiali significato subiecti, vt ī eodē patet exēplo. Quo fit, vt sensus diuisus huius generis nō possit esse, nisi cū dicti subiectū est connotatiuū: quia solum connotatiua habent significatum materiale. Sensus cōpositus ex parte modi fit, cum modus simul, & semel vnitur cum omnibus dictis, siue propositionibus, quibus vniuersale dictum exponitur: diuisus vero, cum singulatim singulis adiungitur; vt ecce, Contingens est aliquod corpus moueri, si exponatur hoc pacto, Contingens est hoc corpus moueri, aut illud corpus moueri, aut illud, aut aliud, erit compositus, cum modus semel tantum coniungatur cum exponentibus:

si vero

si vero modus cum omnibus exponentibus seorsim iungeretur, fieret sensus diuisus. Si primo modo fiat expositio, exponentes omnes sunt falsæ, cũ detur aliquod corpus quod necessario mouetur, vt cœlum: si secundo, omnes sunt veræ; quia aliquod corpus contingenter mouetur.

Sophismatis sensus compositi tale est exemplum, Omnes homines esse senes est impossibile: iuuenes sunt homines: igitur iuuenes esse senes est possibile. Conclusio in sensu composito est falsa, quæ non sequitur nisi ex diuiso. Sophismatis sensus diuisi est hoc exemplum, Iuuenes esse senes est impossibile: homines sunt iuuenes: ergo homines esse senes est impossibile. Conclusio est falsa, ac etiam maior in sensu diuiso, in cõposito est vera, cui si attribuatur fallacia, erit captio diuisionis, cum quod ex diuisa sequitur, tribuimus compositæ. Sophismatis ex parte modi, hoc est exemplum, si ad videndum necesse est alterum habere oculum, aut dexter, aut sinister est necessarius: sed certum est ad videndum opus esse altero oculo: igitur aut dextro, aut sinistro opus erit: at ista conclusio in sensu diuiso est falsa, quia neuter est necessarius, sed alteruter indifferenter.

Secunda compositionis species, vt dicebamus, est cum partes orationis quibusdã particulis nectuntur. Quando vniunt partes vnius extremi, siue termini propositionis, faciunt sensum compositum; vt si dicas, Quinque sunt duo etiã tria, vbi, Et, stat coniunctim. Item, omnis propositio est vera, vel falsa; vbi, Vel, accipitur disiunctim. Quando vero coniungunt multas simplices propositiones, faciunt sensum diuisum; vt, Quinque sunt duo, & quinque sunt tria: Omnis propositio est vera, vel omnis propositio est falsa: in illa,

Et accipitur copulatiue, in hac, Vel disiunctiue.

Huius speciei in sensu composito tale est exẽplum, Numerus compositus ex duobus, & tribus, est duo, & tria; quinarius nõ est duo, & tria: igitur quinarius non componitur ex duobus, & tribus. Maior est vera in sensu composito, in quo minor est falsa, quem sensum sequitur cõclusio. Sensus diuisi hoc est exemplum, Quæ sunt duo, & tria, sunt duo, & tria; at quinque sunt duo, & tria: igitur quinque sunt duo, & quinque sunt tria: Maior est vera in sensu diuiso subiecti, in cõposito falsa: minor vero contra vera in composito, falsa in diuiso, ob quem inducitur falsa conclusio.


Tertia species est, cum talis est oratio, vt vna eius dictio cum varijs partibus copulari possit: si copuletur cum illa cum qua magis iudicio peritorum videtur copulanda, dicetur sensus compositus; si vero cum illa quacum minus copulãda videtur, dicetur diuisus: quamuis re vera huiusmodi propositiones potius plures sensus compositos, quam diuisum, & compositum habere videantur; vel plures diuisos, cum dictio cũ vtraque parte male cohæreat.

Huius speciei Exẽpla sunt huiusmodi, Quidquid viuit semper, erit: si semper coniungatur, cum, viuit, cum qua parte apte copulatur, sensus est compositus: si cum Erit, sensus erit diuisus, & falsus. Item, Quicunque scit literas nunc, didicit eas: tu autem scis literas; nunc igitur didicisti eas: cum tamen multo ante didiceris. Nunc, si coniungatur cum particula Didicit, cum qua videtur iungendum, facit sensum compositũ falsum; vnde colligitur conclusio falsa in eodẽ sensu. Quidquid viuit, semper erit: leo viuit, ergo leo semper erit: conclusio est falsa, sicuti & maior in

ior in sensu diuiso, si semper, vniatur cum verbo Erit; si cum, Viuit, erit vera in sensu composito. Cæterum, interdum aliquæ reperiuntur particulæ, quæ æque commode, cum vna, vel altera vniuntur; vt in hoc exemplo, Iussit testator, sibi poni statuam auream hastam tenentem: quarum propositionum veritas coniecturis inuestiganda est. Et hæc breuiter de hac fallacia, de qua quidã integra opuscula scripsere.

Heren. auct.

De fallacia accentus. Cap. XXV.



Ccentus fallacia, est locus aptus ad decipiendum ob varietatem accẽtus, idest ob alium atque aliũ pronunciationis modum ob spiritum, syllabæ quantitatem, &c. cuius hæ sunt species.

Prima, cum accẽtus sumitur proprie pro graui, acuto, & circunflexo; vt, Qui quærit leporẽ, venatur: at qui ornate scribit, leporem quærit: venatur igitur. Leporem, primo loco habet accentum acutum in antepenultima; secundo loco circunflexum in penultima.

Secunda, cum mutatur quantitas; vt, Qui edit deuorat; ergo qui librũ edit, deuorat: Edit primo loco habet E, breue; in secundo longum: Itẽ, populus est arbor, ciuitas populus: arbor igitur.

Tertia, cum mutatur aspiratio: omini non est habenda fides, tu homo; ergo tibi non est habenda fides: Item, quod hamatur, hamo capitur, vinum amatur: igitur hamo capitur.

Quarta, cum vna dictio separatur in plures: Tu es qui es: quies est priuatio motus: igitur tu es priuatio motus. Item, omnis via pedibus teritur: via est res quædam publica: ergo resp. pedibus teritur.

Quincta, cum aliquid pronunciatur serio, & ironice; vt, Qui dicit te egregie respondere, te laudat: at magister, cum erras, dicit te egregie respondere; ergo cum erras te laudat. Item, qui vocant aliquem album, dicunt eum esse album; at pueri Aethiopem vocant album: est igitur albus.

Sexta, cum mutatur diphthongus; vt, qui aliquem vocat equum illum vituperat: tu appellasti Petrum æquum vituperasti igitur.

De fallacia figuræ dictionis. *Cap. XXVI.*



Haec fallacia est locus idoneus ad capiendum ob similitudinem dictionum inter se: ex qua accidentali similitude significatorũ substantialis colligitur similitudo. Illę autem dictiones censentur similes, quę eandẽ habent terminationem, & pro eadẽ re sumi solent: vt Frõs, Pons, Habeo, Abeo, Homo, Animal.

Hęc fallacia his modis committi solet: Primo, cum diuersis vocalibus eadem affectio grammaticalis tribuitur; vt terminata in a, sunt fęminini generis; igitur & planeta.

Secundo, cum eædem voces ad idem prędicamentũ pertinere dicuntur, & hoc dupliciter, primo propter earũ similitudinẽ: vt planicies. macies; secari, operari: secundo cum pro eadem re vsurpantur, vt homo, & sanum. Ex secundo modo, hęc ducuntur argumẽta, Quod emisti comedisti: emisti carnẽ crudã: igitur crudã comedisti: Quod, significat substantiam, & mutatur in accidens, cum dicitur, carnem crudã. At tolleretur fallacia, si diceretur, Qualemcunque carnẽ emisti. Item, quod caput habebas puer, nunc habes:

at tunc habebas minimum; igitur & nunc habes minimum: transitur a substantia ad quantitatem.

D.Tho. lib. de fal. c.6.

Vbi nota, in hoc genere, non sunt distinguenda prædicamenta secundum rem significatã, sed secundum modum significandi: & ita omnia absoluta significata censentur esse prędicamẽtĩ substantiæ, quia significant per modum per se existentis: vt dulcedo, sapientia: contra omnia connotatiua censentur pertinere ad prædicamentũ accidentis, licet significent substantiam, vt bonũ, album. Vnde in sequenti argumentatione nullus fit transitus a substantia ad accidens, Quidquid heri vidisti, nunc vides: heri candorem vidisti: candorem igitur nũc vides: Vbi, Quidquid, licet sit vox transcendentalis; putatur tamẽ substantialis, sicuti etiam Candor: Neque in sequẽti, Qualis erat hic anulus heri, talis nunc est: at heri erat aureus; igitur & nunc: Fit trãsitus a qualitate ad substantiã, licet, Aureus, significet substantiam per modum qualitatis.

D.Tho. loc.cit. Arist.c.de subst.

Tertio, fit hæc fallacia, cum dictio quæ significat, Quale aliquid, hoc est rem vniuersalem, videtur significare, Hoc aliquid, id est rem singularem; aut contra: siue ex eo quod vocabula rei vniuersalis, & singularis eodem modo desinunt; siue quia sępe pro eadem re accipiuntur, vt homo, & Petrus: quo fit, vt quod de vno affirmatur, aut negatur de alio affirmare, aut negare liceat. Vnde fiunt hæc sophismata: Homo est species; Petrus est homo, ergo Petrus est species: Petrus non est species: Petrus est homo: ergo homo nõ est species. Idem accidere potest in terminis rerũ magis ac minus vniuersalium: vt, viuens latius patet quàm animal, sed sentiens est viuens: igitur sentiens latius patet quam animal: quod est falsum. Item Animal est genus; homo est animal: ergo

ergo homo est genus. Verum huiusmodi sophismata reuocari possunt, ad sequētem locum: qui erit primus eorum qui sumuntur extra dictionem.

De fallacia accidentis. Cap. XXVII.



Aec fallacia est omnium periculosissima, qua etiam sapientes interdū decipiūtur, ac proinde maxime cauenda. Est ergo accidentis fallacia locus idoneus ad decipiendum ob diuersitatem prædicati & subiecti, cum quod vni conuenit, aut non conuenit, alteri cōuenire, aut non cōuenire putatur. Vt autem melius hæc deceptio detegatur, notanda sunt quædam.

Primum, nomine accidentis hoc loco intelligitur prædicatum aliquo pacto a subiecto diuersum, cui vere conuenit: quod non accidit in his propositionibus, Homo est hō, vestis est indumētū, de quibus omnia æque dici, & negari possunt, sine erroris periculo, cum sint synonima.

Deinde notādum est, tribus modis aliqua posse iudicari vnum, cum tamen sint diuersa: primo cum vnum est de essentia alterius, licet non eandem naturam significent; vt genus & differentia de natura speciei, & species indiuidui. Secundo minori vnitate, quando vnum est accidens proprium alterius, vt risiuum hominis. Postremo, cum vnum includit alterum, vt accidēs commune; vt homo album. Cum ergo ista, ita sint diuersa, vt etiam aliquo modo sint vnum, & ita vnum, vt sint diuersa, committitur fallacia accidentis, quando quod vni conuenit, vt est diuersum ab altero, tribuitur etiam alteri, putando ei conuenire, vt est vnum cum illo. Ex quibus colligeres,

tria

tria esse genera sophismatum huius loci, quæ ex tribus iam dictis capitibus oriri possunt: ad quæ vitanda hac regula vtendum est. Quæ alicui cõueniunt secundum id in quo ab alio differt, ab illo remouenda sunt, cętera vero, aut simul concedenda, aut neganda.

Sub singulis generibus sunt octo fallaces colligendi modi. Primus, cũ quid affirmatur de prædicato, etiam subiecto tribuitur; Homo est species, Petrus est homo: igitur est species. Secũdus, cum quod negatur de prædicato, negatur etiam de subiecto; vt, Animal non est species infima; homo est animal: igitur non est infima species. Tertius, cum quidquid de subiecto affirmatur, etiam de prædicato affirmandum videtur; vt homo est species infima: homo est animal: igitur animal est species infima. Quartus, cum quod negatur de subiecto negandum videtur etiã de prędicato; vt, homo non est genus: homo est animal: igitur animal non est genus. Quinctus, cum de quocunque affirmatur prædicatum, affirmatur etiam subiectum; vt, homo est animal; equus est animal: igitur equus est homo. Sextus, cum de quo negatur prædicatum, negatur etiam subiectum; vt, esse risiuum est proprietas hominis: homo non est proprietas hominis: igitur homo non est risiuus. Septimus, cum de aliquo affirmatur subiectum, de eo etiam prædicatum; vt, animal est genus: album est animal: igitur album est genus. Octauus, cum de aliquo negatur subiectũ, de eodem, & prædicatum; vt, homo est animal: equus non est homo: ergo equus non est animal.

Harum fallaciarum numerus facile percipitur, si spectes prædicatum, & subiectum; quorũ vtrunque potest affirmari, aut negari de aliquo; Vnde oriuntur quattuor posteriores modi: aut

aliquid aliud affirmatur, aut negatur de illis; vnde quattuor priores. Omnes autem hæ fallaciæ oriuntur, vel ex eo quod peccatur in forma argumētādo ex puris particularibus in prima figura, vel ex puris negatiuis in ſecunda, vel quia mutatur ſuppoſitio, & ampliatio: vel denique, quia male argumentamur inter terminum ſuperiorem, & inferiorem. Denique, de hac fallacia illud dixerim, eam pertinere ad ſuperiorem, ſi conſideretur figura dictionis; ad hanc vero ſi extremorū ſpectetur vnitas.

De fallacia eius quod dicitur ſimpliciter, & ſecundum quid. Cap. XXVIII.


Aec fallacia ſimilitudinē habet cū loco a toto in modo, & parte: & licet ſit vna; tamen duplicem locum habet, a ſimpliciter, quod eſt veluti totum, & a ſecūdum quid, quod eſt veluti pars: & ex vtroque loco argumenta, tùm affirmantia, tū negantia ſumū-tur, vt in exemplis patebit. Et quoniam ei quod ſimpliciter dicitur, variæ adiectiones fieri poſſunt, hinc eſt, vt hæc fallacia late pateat.


Res igitur vniuerſe ſumpta dicitur dictū ſimpliciter; vt proijcere merces, edere carnes, bibere vinum: res vero aliquo pacto contracta, vocatur dictum ſecundum quid; vt, proijcere merces tēpeſtate exorta, edere carnes diebus prohibitis, & bibere vinum, tempore febris. Sunt ergo varia adiectorum genera; aliqua diminuunt ſignificationem totius; vt albus, & albus dentibus: alia diſtrahunt, alia alienant, vt ex libro ſecundo patet.

Huius fallaciæ hi sunt modi atque exempla. Primus modus a dicto diminuente secundum locum, non licet ludere in ecclesia; igitur ludere non licet. Secundus, a dicto diminuente secundũ tempus: non licet die sabbathi vesci carnibus; igitur non licet vesci carnibus. Tertius, a dicto diminuẽte ad aliquid; febricitanti non est vtile vinũ; igitur vinum inutile. Quartus, a dicto diminuente secundum partem; est albus secundum dẽtes; igitur est albus. Cæterum, si pars esset proprium subiectũ attributi, siue accidentis, tunc argumentari liceret; vt est capite crispus: crispus igitur: naso vtitur curuo; aquilinus igitur. Quinctus, a dicto distrahente; est equus æneus in platea: igitur est equus in platea. Hoc cadauer est homo mortuus; igitur est homo.

Similiter eadem fallacia argumẽtamur ab ipsis totis ad dicta secũdum quid; vt, non est albus, igitur non est albus secundum dentes: imago nõ est homo; ergo non est homo pictus. Quãdo autem prædicatũ non ex parte, sed integre subiecto conueniret, tunc valeret a negatione simpliciter, ad secundum quid; vt mentiri non est bonum; igitur nec militiæ mentiri licet, nec caussa salutis.

De fallacia ignorationis Elenchi. Cap. XXIX.

Lib. 1. Elenc. c. 4. & 5.



AD huius fallaciç vim explicandam, nonnulla animaduertenda sunt. Primum, Elenchus, latine redargutio, vniuerse sumptus, sic describitur, Est syllogismus cum cõtradictione conclusionis; hoc est, qui colligit cõtradictionem alicuius certæ enunciationis. Neç

necesse

neceſſe eſt ad verum elenchum, vt ſemper inferatur contradictoria, ſed ſat eſt ſi ſit contraria, ex qua ſtatim infertur contradictoria.

Deinde notandum eſt, elenchi vniuerſe ſumpti ſunt quattuor genera. Elenchus demonſtratiuus, qui eſt demonſtratio cum contradictione concluſionis: dialecticus, ſyllogiſmus nimirum dialecticus cum eadem contradictione: pſeudographus, qui videtur demonſtratiuus, ſed peccat materia; atq; ſophiſticus, qui videtur dialecticus, ſed peccat, vel materia, vel forma, vel contradictione, quia non eſt vera contradictio, ſiue contradictoria.

Poſtea notandum eſt, duplicem eſſe Elenchũ, generalem & ſpecialem: Generalis Elēchus eſt locus ad decipiendum idoneus ex prætermiſſione conditionis cuiuſcunque elenchi: Specialis verò, eſt locus ad fallendum idoneus ex prætermiſſione conditionum ad veram contradictionem requiſitarum.

Sunt autem conditiones ad veram contradictionem conficiendam numero quattuor. Prima ſecundum idem, vnde non redarguitur qui dicit, Aethiops eſt niger, ſi probetur eſſe album dentibus. Secunda, ad idem; vnde qui dicit ſe eſſe magnum reſpectu pueri, non redarguitur, ſi probetur paruus comparatus ad adultum. Tertia, ſimiliter, vnde non redarguitur qui dicit cęlum non moueri deorſum, ſi probetur moueri, quia non affirmat ſimili modo: ſic, currere velociter, currere tarde. Quarta, in eodem tempore, vel loco, cuius omiſſione non redarguitur, qui dixerit nō opus eſſe eum comedere qui ſatur eſt, vel in platea, ſi probetur alio tempore, & loco non eſſe edendum. Atque ex his qui ſit ſophiſticus Elēchus omnino perſpicuum eſſe puto, ille nimirũ

1. Elench. c. 4.

qui falso redarguit contradictionis ob defectum veræ contradictionis. Ad hanc fallaciam omnes aliæ reuocari possunt, cum in omnibus sit apparens quædam cõtradictio, vel in dictione, vel extra.

De fallatia petitionis principij. *Cap.* XXX.

Libr. 1. Elen.c. 4.



T hæc fallacia in quam non raro tyrones disputando incidũt, plane explicetur, animaduerte, conclusionem probandam appellari principium, ob eam caussam, quod initio proponitur, vt ad eam dirigatur probatio. Cum vero is qui disputat, alijs verbis petit sibi concedi, aut pro medio ipse assumit id, quod est probandum, dicitur Petitio principij, eius nimirum rei quæ probanda est sumptio; ita vt pro medio assumatur id quod probare oportet, gratisque petatur sibi dari, quod argumento extorquẽdum est.

Quare, hæc fallacia est contra rectam syllogismi probationem, cũ probatio per aliquid notius, & aliquo modo diuersum fieri debeat: qua fallacia qui vtitur, dignus est qui irrideatur.

8. Top. c. 5.

Sunt autem principij petendi modi quinque: Primus, cum synonymum sumitur ad probationem synonymi; vt si probaturus voluptatem esse summum bonum, petat, an iucunditas sit summum bonum. Secundus, si ad probandam rem particularem, petatur res vniuersalis; vt, si cõcludas omnium contrariorum esse eandem disciplinam, quia omnium oppositorũ eadem est: opposita enim latius patent, quam contraria. Tertius, si contrarius fiat progressus; vt si quis peteret singulos homines currere, vt probaret omnes curre-

re.

re. Quartus, si conclusio per partes sumatur in sumptionibus; vt si quis ita disputet; Medicina est sani, & medicina est ægri; ergo medicina est sani & ægri. Postremus, cum ad probādū vnum relatum, petatur alterum; vt ad probandum hāc esse vxorem illius, sumatur illum esse huius virum. Nec qui ex definitione, vel ex partibus, vel ex relatis aliquid probant, censentur petere principium, cum definitio, & definitū, totum & partes non idem omnino, & eodē modo significēt, & relata inter se recte explicentur; sed solum illi, qui ex synonymis synonyma probant. Cū itaque Dialectic⁹ ex datis ab alio disputare debeat, merito dicitur principium petere, qui aliquo ex dictis modis argumentatur.

De fallacia consequentis. *Cap. XXXI.*

FIt hoc fallaciæ gen⁹ ex similitudine loci, quo ab antecedente argumētamur ad consequēs, & ex huius opposito inferimus oppositum antecedentis; per hanc vero fallaciam oppositum efficimus.


Est itaq; locus ad decipiendū idoneus a positione consequentis ad antecedens, & ab huius opposito, ad oppositum; idest ad contradictoriū consequentis. Vnde hic duæ intercedunt argumētationes, quarum prima est bona, altera falsa; vt in subiectis patebit exemplis. Si est ignis, calor est: ergo si ignis non est, calor non est: prior argumētatio est bona, posterior mala: vbi a negatione antecedentis arguitur: non secus ac si diceres, si nō est homo, non est animal. Similiter a positione cōsequentis non valet ad positionem antecedentis, nisi termini sint cōuertibiles; vt est hō, ergo est animal: est animal, igit̃ & homo: hæc falsa est,

Qui dicit te esse equum, dicit te esse animal, sed qui dicit te esse equum, dicit falsum: igitur qui dicit te esse animal dicit falsum. Item, Qui dicit te esse animal, dicit verum: qui ait te esse equum, ait te, esse animal: igitur qui ait te esse equum verum ait.

Quo loco illud adnotauerim, hanc fallaciam contineri quodammodo sub captione accidentis, quia quod ex aliquo cõsequitur, est quodammodo illius accidens, sumendo Accidens, vt in illa fallacia sumitur; pro omni eo, quod est, non tamen quidquid est accidens rei alicuius, est eius consequens.

De fallacia non caussæ, vt caussæ, *Cap.* XXXII.

1. Elenc. c.4.



Vm syllogismi cõclusio sit effectus quidam, aliquam caussam efficientem habere necesse est, siue sit caussa essendi, siue cognoscẽdi, & inferẽdi. Si ergo contingat conclusionem esse falsam, & eius falsitas referatur in propositionem ex qua non sequitur, cõmittitur hæc fallacia quæ dicitur non caussæ, vt caussę. In hoc vitium incideret, qui vellet aliquam artem damnare, quòd aliqui ea abutantur, aut aliquam rem vituperare, quod inde errandi occasionem homines sumant; cum non res, sed hominum peruersitas sit talis effectus caussa. Verùm hæc fallacia non intercedit in argumẽtationis forma, nisi cũ sophista ex concessis reducit respondentem ad aliquid, quod aperte inconueniens, aut falsum est; ex cuius euersione regreditur ad euertẽdam aliq̃ ex sumptionibus, vt caussam falsæ conclusionis,

ſionis, q̃ nõ erat vera cauſſa: & ita ſolũ fit in ſyllo giſmo ad impoſſibile. Vt ecce, concedat quis interroganti ſophiſtæ hanc propoſitionem, Anima & vita ſunt idem; tunc ſic arguet, mors & vita ſunt contraria, generatio & corruptio ſunt contraria: ſed mors eſt corruptio: ergo vita eſt generatio: ergo viuere eſt generari, quod eſt impoſſibile, quia qui viuit non generatur: & dicet falſitatem ſequi ex conceſſa, ac proinde erit falſa, & tamen eſt vera, neque ex ea ſequitur cõcluſio, quia ea remota adhuc ſequeretur. ſequitur ergo ex illa, vita & mors ſunt contraria, cum ſint oppoſita priuatiue.

De fallacia plurium interrogationum vt vnius. Cap. XXXIII.



Aec fallacia fit, cum plures interrogationes, vt vna proponuntur: vel cum qui arguit, vna tantum reſponſione ſibi reſponderi vult: cũ tamen vna tantum reſponderi non poſſit; vt ex reſponſione decipiat; vt ſi ſophiſta peteret, homo & leo ſintne animal rationale; cui ſi vna ſatisfiat reſponſione affirmãdo, colliget leonem eſſe rationalem; ſi negando, colliget hominem non eſſe rationalem. Lib. 1. Elenc. c. 4.

Sunt autem huius fallaciæ tres modi: primus, cum vnum de pluribus quæritur, vt in allato patet exemplo. Secundus, cũm de vno plura quæruntur; vt, an Petrus ſit homo & leo? Tertius cum plura de pluribus quæruntur; vt, ſit ne Petrus & leo, homo & brutum. Qui vult ſe ab hac fallacia extricare, pluribus reſponſionibus factæ interrogationi ſatisfaciat. Atque hæc breuiter

Flan. in qq. in D Thom.

de locis sophysticis: de quibus nonnulli fuse disputare solent: tū tñ q̃ diximus, satis esse possint.

Traduntur admonitiones quædam ad omnia sophismata facile dissoluenda.

Cap. XXXIIII.

Arist. lib. 2. Elenc. c.3.

Lege Rodol. Lib 2. de arg. solut.

QVoniã sophisticos nodos varijs verborum nexibus implicatos soluere, non est facilius, quam eosdem implicare atque constringere; propterea postquam quomodo fiant docuimus, non erit inutile, si qua ratione soluantur docuerimus. Quamuis ergo, vt Aristoteles scripsit, recta solutio, sit falsi syllogismi manifestatio, & is possit nodum soluere, qui quo modo fiat, non ignorat: tamen quasdam priuatas admonitiones ad id faciendum habere in promptu, plurimum expediet.

Prima, cum omnis syllogismi virtus consistat in materia & forma, omnis etiam malitia in altera utra consistet parte: si error est in materia, soluetur per negationem & interpretationem: si in forma, soluetur per distinctionem, negando consequentiam, & negationis reddenda erit ratio. Sed quoniam hæc admonitio est nimis communis, ideo aliqui tres alias priuatas tradunt.

Ioã. Fab stap.

Fons.

Secunda, paralyllogismi, qui fiũt equiuocatione, amphibolia, compositione, diuisione, & accẽtu, distinctione eius quod simpliciter sumptum est, ac etiam consequẽtię examine tollendi sunt: & cum ventum fuerit ad cõclusionem multiplicem, prius erit distinguenda, quam de consequẽtia iudicium ferendũ. Tertia, si fallacia sit ex figura dictionis, accidentis, ex eo quod simpliciter dicitur, ex consequente, ex non caussa, consequẽtia negatione eludenda erit, sumptione admissa,

Lib 2. Elenc. c. 4.

Quo

Quo loco animaduertit Aristoteles, vtile esse habere in promptu aliquam vitiosam argumentationem, similem ei, qua vtitur sophista.

Quarta, parasyllogismus qui fit per petitionẽ principij dissoluetur, negando antecedens, etiãsi probabile videatur: cum nihil sit admittendum, quod labefactare possit id quod tu defendis. His addere possumus alias, 2. Elenç. c. 5.

Quincta, sophismata plurium interrogationũ dissoluentur, si tot adhibebuntur responsiones, quot implicitæ sunt interrogationes: quæ interdum distinctione soluere licebit.

Sexta, sophisma nugationis dissoluetur, si dicas, non esse necesse ponere integram definitionem loco nominis: ducit enim sophista in hanç captionem, dum definitiones integras pro nominibus accipit, vt nasum curuum pro simo. Dices itaque, id quod semel est positum, non esse iterum ponendum. In summa, qui omnia falsa argumenta soluere, & solutionum rationes assignare voluerit, is consequentiarum cõmunes, figurarumque syllogismorum priuatas regulas, ac ẽt terminorum affectiones, vt suppositiones, ampliationes, appellationesque optime teneat. Lib. 2. Elenc. c. 6.

Sunt etiam, vt illud hoc loco obiter adnotauerim, quædam argumentandi formę, quę videntur inexplicabiles, quas ceratinas crocodilites, non cõsentientes, & mentientes vocãt: vt argumentatio illa Euathli Prothagoræ sophistę discipuli, de mercede persoluenda si primã litẽ vicisset: & illa, cum quis ait tacere, aut nihil scire, & illa Epimenidis Cretensis, qui dixit, Cretenses esse mẽdaces: Quas captiones dissolueres, dicendo, non fieri repugnantiã nisi respectu eiusdẽ, & has indefinitas propositiones oẽs alias negare, præter seipsas. Vnde qui asserit se nihil scire, Gell. libr. 5. c. 10. Polit. in miscel. Vltra. in tab. dial.

omnia alia excludit, præter hoc vnum: & qui dicit, homines esse mendaces, non comprehendit seipsum sub hac enunciatione: & conditio illa de lite vincenda, intelligebatur de quacunque alia lite. Sed de fallaci syllogismo hucusque.

De recta differendi ratione, siue præcepta in disputando seruanda.

Cap. XXXV.



CVm hactenus ea omnia explicuerim quæ ad tertiam operationem recte dirigendam sunt necessaria; nunc vt quæ diximus ad vsum bene redigi possint, nonnulla documenta de recta disputandi ratione tradere non grauabor. Cum ergo in disputatione duæ intercedant personæ, vna quæ oppugnat, altera quæ defendit, primum dabo præcepta nonnulla omnibus cōmunia: postea quædam priuata pro arguente, & postremo alia pro respondente. Quod attinet ad primum hæc statuo documenta.

Primum, cum humanæ actiones tunc recte fieri dicantur, cum congruenter ad consequēdum finem, cuius caussa suscipiuntur, fiunt; ideo qui Cic. conuenienter differere volunt, sibi veritatem tāquam finem ob oculos proponant, ad quam inueniendam omnem suam industriam laboremque conferant; & ea vitent, quæ ad hunc finem attingendum sunt dissentanea; vt inter alia sunt, in disputando confusio, immodestia, ingenij ostentatio, & peruicacia. Assurgendum itaque est veritati, & ab ea se vinci perpetiendum; cum non sit turpe ab eo vinci, quo nihil est in hac rerū vni- Eid. c.3.

uersi-

uersitate fortius; vt aliquando a sapientibus viris sancitum fuit.

Secundum, etsi veritas disputando quæratur; tamen, & interdum aperte falsa tueri, & vera exercitationis gratia defendere & impugnare liceat; vt vbi nullus videtur disputandi locus, aliquis inueniatur: vt quæ omnino retinenda sunt faciliius tueri, & quæ refellenda, neruosius euerti queant.

Tertium, vterque ab vtroque & ab assistentibus aliqua breui acutaque prolusione, siue exordiolo beneuolētiam captet, ne illotis, vt dicitur, manibus prouinciam nobilissimam auspicetur; qcquid aūt dicetur, id ad rem ipsam, vel ad personas erit accommodatum. Nec etiam disputationis finis, sua honestate, honoreque carebit; vbi, si quid differendo peccatum esset, emendare non pudeat.

Quartum, vt disputatio non debet esse nimio dicendi ardore incensa; ita nec adeo frigida, vt tædium audientibus afferat, aut frustra, & quasi per iocum suscepta videatur. Non erit itaque languida, & quasi mortua, sed viua & lacertosa; & si in altero excedendum est, potius feruore, quam languore peccandum, modo tamen intra modestiæ limites sese disputatio contineat. Id ego alios doceo, quod facere soleo: in quo etsi quibusdam nimius videri soleo, facile caussam meam cū ratione defendo.

Quinctum, vt dialectice disputēt, vt inutilem verborum multitudinem vitent; in quo illi peccant, qui dum respondent, potius concionantur, quam disputent: & qui totidem verbis semper responsa clara frigide referunt, & longa oratione, sua argumēta proponunt: quod dum tempus, fit inutiliter conteritur, & illa in differendo promptitudo,

ptitudo, & ſolertia, quæ mirifice auditores delectat, vt alia imcommoda omittam, nulla exiſtit.

Poſtremum, vterque diſputator perpetuo propoſitum thema ſpectet; qui defendit, vt illud ita teneat, vt ab eo ſe dimoueri non permittat, & qui impugnat, illud euertat, & in illud ſua argumēta, quaſi ſagittas in ſcopum recta mittat; ne, ſi ſecus fecerit, ridiculus euadat, vt is qui dū in ſcopum ſagittam dirigit, longiſſime ab eo aberrat. Atque hæc in commune præcepta tradidiſſe ſufficiat: ſeparatim vero pro arguente, hæc ſtatuo præcepta.

Primum, quæſtionis qualitatem animaduertat, an demonſtratiue, an dialectice de eo diſputari poſſit: an exploratam, an dubiam habeat ſententiam, vt videat, an ſuis ſumptionibus, & epicherematis aduerſarium aggredi debeat, an vero ab eo aliquid petendum ſit. Olim aliquid petēdo diſputare ſolebant: nunc vero non item, ſed illa multo ſecurior ratio. Si quid petendum eſt, illa adhibeatur cautio, ne petat ea quæ expreſſe faciunt ad labefactandū quod id aduerſarius ſibi ſuſtinendum putat, ſed aliquid remotum. Si ille neget, quod tu interrogas, id probare tibi licebit, ſed ad hoc faciendum nihil te coget: at ſi negauerit, quod tu ſine interrogatione accepiſti, confirmare cogeris, ni penitus ſit exploratum.

Secundum, nihil eſt neceſſe, vt prima aggreſſio ipſum difficultatis nodum attingat, ſed licebit, maxime Tyroni, aliquāto longius inchoare, vt paulatim ad id in quo tota ſita eſt difficultas per varias conſequentias veniatur. Hanc argumentorum ſeriem, & quaſi cathenam conficiet Tyro, ſi ſecum diligenter quæſtionem perpenderit, & varios locos perluſtrauerit, & quid contra ſuas ſumptiones, & conſequutiones reſponderi poſſit

ti possit præuiderit, & ad eas probandas, aut confirmandas aliquid excogitauerit. Sed dum longius auspicari vult, caueat quasdam pueriles aggressiones, Vt sunt istæ, Tua conclusio falsa, igitur: Tua positio est contra rationem: ergo; & harum similes.

Tertium, potius vnum argumentum vrgeat, & augeat, quam plura de nouo proponat; &, vt ita dicam, potius intensiue, quam extensiue disputet. Nam qui ad singulas: vel ad vnam, & alteram responsionem acquiescunt, & ad noua argumenta progrediũtur, parui ingenij, diligẽtięq; significationem præbẽt, & illud scomma, audire merentur, Nouo insurgit argumento.

Quartum, caueat ne quid circa formam peccet ne pro ignorante, vel sophista habeatur, audiatque illud, Argumẽtum forma peccat: distincte, clareque proponat: quia, si quid obscurũ afferet, explicare cogetur: quod huc facit, caueat, ne principium petat, idest ne pro medio assumat id, quod probandum est.

Quinctum, cum disputationem aggreditur, verbis vtatur proprijs, vt sunt, arguo, pugno, dispu-to, vrgeo, insisto, & similia; eaque caueat verba quæ sunt respondenti accommodata. A principio fideliter solutionem repetat, pręsertim Tyro; & cum proposuit, det tempus respondẽti, suas vt partes agat.

Sextum, cum respondens negat id confirmet quod negatur; confirmationes, respõsiones euertant: dicatque, probo antecedẽs, consequentiam ve negatam. Si ille distinguet, demonstret distinctionem non esse bonã, non ad rem: & contra imperfectam solutionem, instantiam afferat.

Postremum, cum ad disputandum aggreditur, primo aliqua auctoritate, tum ratione vtatur,

tur, & primum directa disputatione agat, tum ea quæ ducit ad incommodum, & absurdum; vt, si quis contra Epicureos ageret, demonstrando falsum esse omnem voluptatē esse bonā: directe disputaret, si diceret, nonnullas voluptates repugnare rectę rationi: indirecte, si afferret hoc inconueniens, Quia voluptas ex homicidio percepta esset bona. Denique interdum aget ex hypothesi, dicendo, Ponamus, fingamus, hoc vel illud ita esse, aut factum esse. Atque hæc pro arguente statuisse volui: nunc quibusdam alijs pręceptis respondentem instituam.

Primum præceptum, respondens semel, & iterum propositam argumentationem fideliter, plene, planeque repetet, & prima vice, animaduertat, sumptiones siue antecedens, an plures admittat sensus, vt eum eliciat, quem ipse tuetur: & an sit verum, vel falsum: animaduertat etiam consecutionis vim, an sit bona, an mala, & quāta sit: an argumentationis forma sit syllogistica: potissimum oculos conuertat ad minorem propositionem, in qua, vt plurimum error latere solet.

Secundum, secunda vice respondeat ad argumentationis partes: & primum, ad antecedens, si illud sit verum concedat; si nihil obstet, aut vrgeat, admittat; &, vt loquuntur sinat transire: si sit falsum, neget: & si petatur negationis ratio, reddatur: si ambiguū distinguat: si obscurum declarationem petat. Ex quibus colligeres, quæ sint propria respondentis verba; sunt autem ista, Concedo, Nego, Distinguo, Explico, Esto, Admitto, Transeat, dicunt. Quod si Arguens aliquid petiuisset, dicat, Cum quæris, Rogas, Petis sic Respondeo, Dico, &c.

Tertium, cum vitiosa erit consequutio, qua-

lis

lis erit, si verum sit antecedens, & consequens falsum; dicat, Nego consequentiam, nunquam tamen, concesso antecedenti, dicet, Nego consequens, cum illo concesso, hoc sequatur. Distinguendum tamen interdum erit, vt videatur in quo sensu consequentia sit bona, vel mala. Consequens igitur distinguitur, non negatur; consequentia vero contra. Et cum vitium, vel in antecedente, vel in consequentia lateat, prius spectanda est consequentia, quam antecedens, & prius ea neganda, si bona non erit, quam antecedens: cum ergo duæ sint defensionis partes, antecedentis inficiatio, & consequentiæ negatio, hoc prius adhibeatur.

Quartum, dum cōcedit, negat, & vniuerse dū respondet, caueat nē sibi contradicat. & ea tollat, quæ concesserat, vel contra; Memor igitur esto eorum quæ dixit; præsertim cū aliquid falsum, aut minus probabile defendit; mendacem enim memorem esse oportet.


Quinctum, sit liberalis disputator, concedat, admittatque omnia quæ non obsunt, non statim omnia quæ posset neget, aut distinguat, sed sinat argumentum progredi; ne timere videatur; vt illi qui statim ad distinctiones confugiunt, & ea non admittunt, quæ admissa non nocent: in quo bene multos peccare videres. Et quod huc facit, potius obiecta argumenta robusta, quam imbecilla esse dicat; vt cum ea magis amplificauerit, magis ingeniosa, & docta videatur responsio: licebit tamen interdum cum aduersario ludere: at vero eum illudere nunquam.

Sextum, qui multa argumenta fideliter, facileque vult repetere; is conclusiones impugnatas obseruet, & medios terminos, siue locos quibus vsus est aduersarius memoria teneat;

quia

quia ex conclusione, & medio termino facile allata repetitur argumentatio. Atque hæc præcepta adnotasse pro disputantibus sufficiat; si quæ sunt alia vsus, bonusque docebit magister.

Libri Quincti Finis.



INTRODVCTIONIS IN LOGICAM,

LIBER SEXTVS.

In quo agitur de operationibus intellectus, de ente rationis, de vniuersalibus, deque scientiarum diuisione.

Quibus de rebus, & quo ordine agendum sit. Cap. I.



Tsi ad eum finem quem in his insti tutionibus nobis proposuimus obtinendum, quæ superioribus libris tradidimus, ea satis videri possunt: tamen quæ hoc postremo, tanquā corollaria adijciemus, multū erūt vtilia; immo, siquis ea diligenter perpendet, etiā necessaria existimare sine errore poterit.

Cum ergo totum negotium logicum, in dirigendis operationibus intellectus, sit positum, & dictæ operationes, non nisi per entia rationis dirigantur; profecto operationum vis atque entis rationis natura logicæ operam daturo cognoscē da erit: ac proinde vtrunque hoc libro nobis præcipue explicandum proponimus. Et quia entia rationis ex rebus vniuerse consideratis potissimum oriuntur, nōnihil etiam de natura vniuersalium, quę nullo modo ignorare Logicus debet, adijciemus. Quoniam vero hæc omnia, & quæ

in tota Logica traduntur, ad ſcientiarum acquiſitionem referuntur; ideo aliquid de ſcientiarum diuiſione, & varietate poſtremo loco ſubijciemus.

Hic itaq; liber in quattuor erit diſtributus partes, quas, de rebus propoſitis per modum Inſtitutionis ſcribēdo, varijs capitibus complectemur. De primo tria docebimus, quot & quæ ſint intellectus operationes, quæ ſit earum natura, quæ accidentia & proprietates. Et licet iſta ad Philoſophum naturalem pertineant: tamen, ſuo etiam modo, a logico explicanda & cognoſcenda ſunt: cum nemo poſſit aliquid dirigere, ni eius naturā aliqua parte cognitā habuerit, vt ſtatim patebit.

Lib. 3. de Anim.

Quæ & quot ſint intellectus humani operationes. Cap. II.



T quæ ad noſtrum inſtitutū faciūt, de re propoſita pſpicue doceamus; quæ dicēda ſunt, quibuſdam dictis perſtringemus.

Primum dictum, Logicæ operā daturo neceſſaria eſt aliqua, rudis ſaltem, operationum intellectus cognitio. Primū patet hoc dictum ex eo, quod proximo capite diximus: quia eas Logicus dirigere, aut qua ratione dirigantur, intelligere non poteſt, ni earum aliquam habuerit notitiam. Deinde, confirmatur a ſimili, de cognitione categoriarum, quam Logico neceſſariam eſſe omnes meliores Logici fatentur; vt illis poſſit applicare ſecundas intentiones, & entia rationis, quæ ex proprio officio conſiderat: ergo pari ratione ei neceſſaria erit operationum intellectus doctrina, quas conſequuntur

quuntur entia rationis, quibus ipsæ operationes diriguntur.

Secundum dictum, intellectus operationes, quibus in rerum cognitionem venitur, sunt tres. Ideo dixi, quibus in rerum cognitionẽ venitur; quia de illis est sermo, per quas aliquid cognoscimus: cum nõnulli quasdam alias operationes intellectui tribuãt; vt Imperium, & loquutionem: de quibus nos nihil, cum ad nostrum institutum pertineãt nihil. Illæ igitur tres operationes quas nos tractaturi sumus, sunt hæ, simplex apprehẽsio, Compositio, siue Diuisio, quæ affirmatio, & negatio vocari solet, & Discursus, siue ratiocinatio: quæ quid sint, capite sequenti explanabo. D. Tho. 1.2.

Quod autem sint numero tres, his rationibus suadetur: Primo, ex communi omnium Logicorum ac Philosophorum sententia, quorum nomina, & loca in re manifesta, nihil est cur referam. Deinde, confirmari potest ipsamet experiẽtia; qua quisq; in se facile animaduerteret, hasce tantum operationes in cognoscẽdo se exercere. Postremo, sumi potest argumentum a signo, ex humano sermone: cum voces, vt Aristoteles docet, sint notæ conceptuum, siue passionum, quæ sunt in anima: atqui nos interdum vnam tantum pronunciamus vocem, aut plures, sed disiunctas; vt cum dicimus, homo, animal aut duas coniunctas, & aliquo vinculo connexas, dum rem vnã affirmamus, aut negamus de alia; vt cũ dicimus, homo est animal: aut denique ab vna oratione siue ab vno sermone composito, transimus ad alium; vt cum dicimus, Homo est animal, ergo est sentiens: Prima loquendi forma est signum primæ operationis, idest simplicis apprehensionis: secunda compositionis: tertia argumentationis. D.Th. 1. de Inter.c.1.

Tertium dictũ, istæ tres operationes sunt eius intellectus, quem Patientem, & possibilem philosophi vocant; hoc est, eius qui recipiendo species intelligibiles, res ipsas percipit; vt libro primo docuimus.

3. De ani. Sed contra secundum dictum hoc loco quispiam Aristotelis obijceret auctoritatem, qui quibusdam in locis, solum duas operationes agno-
1. Periher. c. 1. scere videtur, primam & secundam. Respondetur, dum Aristoteles duarum operationum facit mentionem, tertiam nõ excludit: & dum ait intellectum interdum esse verum, interdum nec verum nec falsum, profecto & apprehensionem simplicem, & duas alias in quibus est veritas, vel falsitas, insinuat.

Rursus, si cõtra assignatum numerum obijceres, secundã & tertiã non esse inter se distinctas; quia vtraque consistit in quadam cõpositione: vt enim secunda cõponit simplices notitias; ita tertia duas sententias, siue propositiones: erunt igitur tantũ duæ, apprehensio, & cõpositio. Respondetur, esto vtranque cõsistere in quadam compositione: tamen, quia vna compositio specie differt ab alia; ideo & operationes etiam erunt specie diuersæ. Rursus, etiamsi concedamus specie non differre; satis est si accidentibus distinguantur, cum diuersos cõponendi modos ac formas habeant: id quod prudens negaret nemo: ac proinde diuersa ratione a Logico dirigendæ sunt, & vt distinctas eas dirigit.

Quæ sit trium operationum intellectus natura. Cap. III.

QVod attinet ad id quod secũdo loco nobis docendum proposuimus, statuo hæc dicta.

Primum dictum, prima intellectus operatio est simplex rei conceptio, siue notio, qua solam rem sine affirmatione, & negatione concipimus. Dicitur hæc operatio, simplex conceptio, non quod per eam solum res simplices comprehendamus: apprehendimus enim etiam res compositas, vt hominem album, animal rationale; sed quia caret compositione, idest affirmatione, & negatione; proinde non dicitur vera, vel falsa.

Secundum dictum, secunda intellectus operatio est iudicium quoddam, quo iudicamus aliquid alicui rei conuenire, vel non conuenire, affirmando, vel negando; & propterea dicitur affirmatio, vel negatio, & compositio, ac diuisio: cōpositio affirmat, diuisio negat; quia illa aliquid attribuit, hęc vero remouet. Arist. lib. 1. de īter. c.4.

Tertiũ dictũ, tertia intellectus operatio est deductio vnius ex alio; siue iudiciũ, quo iudicamus aliqd ex alio vere consequi posse; vt, si ponamus plãtã augeri, inde deducimus esse anima prȩditã.

Quartum dictum, intellectus operationes siue omnis intellectiua cognitio ortum habet a sensibus. Huc pertinet pronunciatum illud, Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Arist. Cognitio itaque sensitiua est prima hominis notitia, quam proxime sequitur intellectiua. Cicer. in Lucul. Sensus enim immutatur a rebus externis quæ sunt principium nostræ cognitionis per species sensibiles, quę ad phantasiam perueniunt, a qua formantur phãtasmata, ex quibus intellectus agens alias immateriales elicit, quibus affectus suam primam operationem producit, & consequenter alias.

Quinctum dictum, cur intellectus secundam operationem exercere possit, duplex assignatur ratio. Prima, quæ sumitur ex parte sensus;

quia, vt sensus subministrat species simplices, ita etiam ostendit alicui rei aliquid inhærere, aut nõ inhærere; Et ideò occasionẽ præbet intellectui, vt suo iudicio aliquid de re affirmet, aut neget. Secunda, est lumen naturale intellectus, quo nõ solum res cõcipit, sed etiam sua vi aliquid rei, vel conuenire, vel non conuenire cognoscit. Exempli gratia, intellectus concipiendo aliquod totũ, apprehendit illud tanquam compositum ex partibus: & vi sui luminis intelligit, totum esse maius qualibet sui parte; & ita affirmat, Totum est maius sua parte. Ex quibus colligeres, cur etiam producat tertiam operationem, quæ consistit in ratiocinatione: quia hæc est humanæ mentis vis, vt ex aliqua re cognita, & nota, aliquid ignotum possit ratiocinando colligere; vt, si cognoscat aliquid esse bonum, statim inferet, esse expetendũ: & si intelligat aliquem currere, statim colliget, eum moueri.

Sextum dictum, istę tres intellectus operationes habent inter se intrinsecum ordinem, ita vt secunda necessariò pendeat a prima, & tertia a secunda. Siquidem non possumus componere, nisi apprehensa; nec ratiocinari, nisi ex compositis.

Sed est hoc loco dubitatio contra id quod diximus de primæ operationis natura, in ea non esse veritatem, vel falsitatem: quia omnis affirmatio est, vel vera, vel falsa: at in prima operatione est affirmatio: igitur veritas, & falsitas: minor propositio patet ex Aristotele, dicente, Negationem esse posteriorem affirmatione: sed secunda operatio continet negationem; ergo præcedet affirmatio in prima. Explico, si quis per primam operationem concipiat, coruum, statim per secundam potest facere istam propositionem negatiuã, Coruus non est albus: ergo ante istam negatiuam in

prima

prima præcessit affirmatio; ac proinde etiam veritas.

Huic obiectioni respondetur, negando minorem propositionem, quæ simpliciter accepta, nō est vera. Distinguendum est igitur: quod affirmatio præcedat negationem dupliciter intelligi potest; vno modo actu, si fiat expressa propositio affirmatiua: altero modo potestate, id est, si intelligatur, ac si facta esset actu: hac posita distinctione, dico Aristotelis pronunciatum intelligendū esse de affirmatione secundo modo sumpta. Vnde, cum intellectus ait, Coruus nō est albus, supponitur affirmatiua, quæ tacite, seu potestate pręcessit.

Quales sint tres intellectus operationes.
Cap. IIII.

EX tribus capitibus quæ de operationibus intellectus explicanda proposui, restat tertium, in quo virtutes, & vitia harum operationum patefaciam, vt, his cognitis, melius dirigi ac emēdari possint: de quibus hæc subijcio dicta.

Primum dictum, tres intellectus operationes, suapte natura, bene & male exerceri possunt: Quo fit, vt sint capaces quarundam virtutum, & prauitatum: ac proinde opus fuit aliqua arte ad earum vitia corrigenda.

Secundum dictum, harum operationum virtutes, & vitia ex duplici capite oriri possunt; ex obiecto circa quod versantur, & ex modo agendi. Ex parte obiecti exoritur ī aliqua operatione virtus, quando totum & integrum obiectum percipitur. vitium vero, cum non totum percipitur;

vel vnum pro alio apprehenditur: Quod vitium, ignorantia vocatur. Ex modo procedendi, tunc bene intellectus agit, quando conuenienter, & ordinate circa obiectum versatur: Et quoniã hoc varijs modis fieri potest; hinc est quod ex hoc capite multæ nascuntur virtutes, & vitia. Virtutes sunt hæ, Claritas, Rectitudo, Veritas, quibus opponuntur hæc vitia, Obscuritas, Obliquitas, & Falsitas: de quibus singulis videndum est quibusnam operationibus conueniant.

Tertium dictum, ignorantiæ vitium in omnibus intellectus operationibus reperiri potest. Quod hoc vitium in secunda, & tertia esse queat, res est certissima; de prima vero dubitare licet. Ceterum, dicendum est etiam in prima esse ignorantiam: Siquidem ignari homines multarũ rerum non habent proprios conceptus: ac etiam viri alias docti; vt multorum animalium, herbarũ, & similiũ. Quare in prima operatione respectu omnium esse potest ignorantia.

Quartum dictum, secundum vitium, hoc est, Obscuritas in omnibus operationibus potest inueniri. Tunc autem hoc vitium cõtrahitur, cum non habentur proprij rerum conceptus; vt patet in concipiendis rebus a materia seiunctis, vt sunt intelligentiæ: & in concipiendis rebus minime entitatis, & in rebus a sensibus valde remotis, quarum respectu oculus noster se habet tãquam oculus noctuæ ad lumen Solis.

Quintum dictum, secũdum vitium, quod est obliquitas, seu non rectitudo, tunc contrahitur, quando rem aliquam non recte apprehẽdimus; vt si apprehenderem genus tanquam differẽtiã; vel superius, tanquam inferius. Et quoniam tertium vitium, nimirũ Falsitas, bene explicari non potest, nisi intelligatur quid sit Veritas; ideo nõ-

nulla

nulla dicta de veritate subijciam.

Sextum dictum, veritas duplex est; altera, quę tanquam cōmunis quędam rerum omnium proprietas per omnia vagatur entia: nā quidquid est verum est, prout est cum suis principijs conforme: & hæc veritas est a parte rei, de qua non est in præsentia sermo: altera quæ reperitur in intellectu; quæ nihil aliud est, quam conformitas intellectus cum re intellecta: Vnde falsitas huic veritati opposita, nihil aliud erit, quam difformitas intellectus a re intellecta.

Septimum dictum, veritas quæ est ī intellectu duplex est, actiua, & passiua: Veritas actiua, est illa quæ sequitur iudicium intellectus, & ita pēdet ab intellectu; vt, si intellectus iudicet, animal esse viuens; quæ, ideo dr̄ actiua, quia sequit̄ iudiciū intellectus affirmātis. Veritas passiua est cōformitas inter intellectū, & rē prout est in intellectu, & extra intellectū, sine intellectus iudicio; vt, si obijciatur mihi homo, & concipiā, animal rationale; illa conformitas siue cōuenientia inter mētis conceptum, & hominē ipsum, dr̄ veritas passiua; qualis esse potest ēt in sensu; qui dr̄ verus, vt recipit speciem verā; & vtriq; veritati sua opponitur falsitas. Vnde falsitas actiua est difformitas inter intellectum, & rem intellectā, intellectus iudiciū consequens. Falsitas vero passiua, est difformitas inter rem & intellectū, quæ ex intellectus iudicio non oritur. Veritas & falsitas passiua reperiuntur in sola prima operatione intellectus: quia hæc sola operatio sine rationis conatu exercetur; cum intellectus ad apprehendēdum passiue se habeat.

Vltimum dictum, veritas & falsitas actiua sunt in secunda & tertia operatione intellectus, non eodem modo; sed cum aliquo discrimine.

Huius

Huius dicti ratio ea est, quia ad has duas operationes producendas intellectus suo iudicio assensuque concurrit. Dixi, cum aliquo discrimine; quia in secunda, vna tantum reperitur veritas & falsitas; in tertia vero vtraque duplex. Nam in tertia operatione est vna veritas in propositione, altera in argumentationis forma: illa sumitur a materia, hæc a ratiocinationis forma. In hoc syllogismo ambæ sunt veritates, Omne animal sentit: omnis homo est animal: omnis igitur homo sentit: quia & propositiones veræ, & forma, siue illatio bona est. Verum, illa veritas quæ in illatione, siue forma cernitur, potius bonitas, & quę ei opponitur falsitas, malitia vocari debet: Vnde dicimus bonam & malam formam, siue consequutionem, non autem, veram, & falsam. Dupli ci ergo veritati duplex opponitur falsitas, propositionis nimirū & formæ; vt in hoc syllogismo patet: omnes docti sunt boni: omnes Logici sunt boni: ergo omnes Logici sunt docti; vbi est falsitas materiæ, quia non est verum omnes doctos, & logicos esse bonos: & formæ, quoniam ista ratiocinatio fit in secunda figura, ex vtraque præmissa affirmante. Ideo autem hæ veritates, & falsitates dicūtur actiuæ, quia eas intellectus suo iudicio, recto, aut non recto facit.

Atque ex his quæ diximus, facile intelligeres, quodnam sit Logici munus, ea nimirum tradere præcepta per quæ veritas a falsitate internosci queat: cum eius sit verum a falso secernere: vt illud retineatur, & hoc vitetur. Sed de primo quod proposuimus, hucusque: sequitur, vt de secundo dicamus.

De

De nomine Intentionis, vnde dicatur, & quas significationes habeat.

Cap. V.



NAtura trium operationum intellectus demonstrata, sequitur vt de eo agamus, quo istæ operationes diriguntur, hoc est, de ente rationis, siue de secundis intentionibus; quæ duo inter se re non differunt, vt postea dicetur. Initium capiam ab Intentione: de qua cũ sit vox ambigua & obscura, vnde ducta sit, & quid significet priore loco docebo.

Intentio est vox composita ab In, & Tentio, quamuis hæc vox simplex non sit in vsu; quæ nõ a Teneo, sed a Tendo originem ducit. Quare, si notationem spectemus, Intentio, designabit tentionem & tendentiam, vt ita dicam, in aliud. Aliter ergo ista vox vsurpatur a Logicis, quam a scriptoribus Latinis; vt cum dicitur, Arcum intentio frangit, animum remissio. Et quoniam quælibet potentia qua aliquid cognoscimus, vel appetimus tendit in suum obiectum, hinc est, vt hoc nomen Intentio vsurpetur in explicandis operationibus, tum voluntatis, tum intellectus. Si accommodetur voluntati, intentio aliquando significat actum ipsum voluntatis, quo tẽdit in bonum, & idem est quod velle, & cupere: aliquando rem ipsam, in quam voluntas tendit; quo modo dicimus, Intentionem magistri esse efficere discipulum doctum. Verum, hoc nomẽ proprie designat actum, improprie per metonymiam rem ipsam. Hæc voluntatis intentio diuiditur in bonã & malam: de quo intentionum genere Philosophi moralis, & Theologi est disputare. Si vero Publian.

traducatur ad intellectum, ista vox varijs modis vsurpari solet.

Primo proprie designat notitiam, siue actum cognoscendi, quo intellectus in rem cognitam fertur: secundo improprie vsurpatur pro re ipsa cognita; & quia res cognoscitur per suam speciē quæ est obiecti cogniti similitudo quædam; hinc est, quod etiam rerum intellectarum species intentiones vocantur: sicuti species rerum sensilium a sensibus perceptæ, intentiones dicuntur; quemadmodū colorati species, eius vocatur intētio. Postremo, sumitur intentio ad significādam relationem quandam quæ aduenit rei cognitæ, vt est terminus intellectionis; quæ relatio, vel est ad ipsum intellectum, qui intelligit, vel ad aliam rem; vt relatio generis ad speciem, quæ cōsequitur cognitionem intellectus. Ex eo enim quod intellectus vniuerse, gratia exempli, naturam humanam considerat, consurgit in ea quędā relatio ad intellectum, per quam dicitur cognita, & intellecta; & alia ad inferiora a quibus abstrahitur, per quam nominatur species, vniuersalis, prædicatum, &c.

Atque hoc loco in hac tertia significatione potissimum sumitur vox ista intentio: nam agere de intentionibus iuxta alias significationes, aliorū est artificum. Intentionis itaque nomine intelligimus quasdam relationes, seu denominationes extrinsecus aduenietes rebus, vt sunt intellectę, vel vt obiectiue in intellectu existunt; vt sunt, genus, species, prædicatum, subiectum, antecedens, & similes.

Vbi nota, intentio, si sumatur pro re in quam intellectus fertur, duo includit, vnum quasi materiale, & est illa natura realis cognita, quę ab illa extrinsecus adueniēte relatione denominatur,

tur, vt natura humana, quę dicitur species: alterũ quasi formale, & est illa relatio, à qua res cognita denominationem accipit; vt relatio naturę humanæ ad indiuidua, a qua vocatur species. Exemplum sume ab aliquo concreto, vt ab albo, quod materialiter dicit, corpus, formaliter albedinẽ: sic species, materialiter dicit naturam realẽ, formaliter relationem illam, quæ secunda vocatur intentio, vt ipsa natura, intentio prima, illa formalis, hæc materialis, vt sequenti dicetur capite.

Quotuplex sit intentio vniuerse sumpta. Cap. VI.

INtentio vniuerse sumpta, diuiditur in formalem & materialem: intẽtio formalis est actus ipse qui in rem tendit: materialis, quæ obiectiua nominatur, est res ipsa in quam tenditur. Vtraq; rursus duplex, prima, & secunda: Formalis prima est actus ipse quo primo intellectus in rem fert; ille inquam, quo primo res obiecta cognoscitur: Formalis secunda est actus secundus, siue reflexus, quo intellectus cognoscit intentiones secũdas obiectiuas, eas nimirum relationes, quæ sequuntur res primo cognitas. Intentio prima materialis, siue obiectiua est res ipsa, primo cognita, vt est a parte rei, in quam primo intellectus fertur; vt homo, leo, cœlum, &c. ac proinde vocatur prima. Intẽtio secunda materialis, siue obiectiua, est illa relatio quæ aduenit rei cognitæ, vt est in intellectu, in quã secundario fert intellectus, ac proinde dr̃ secunda, quasi res secundo loco intẽta & intellecta. Res itaq; in se consideratę, & primo cognitæ dicuntur primæ intentiones: relationes vero illæ quæ rebus attribuũtur, & post illas sequunt, secundæ intẽtiones vocant, res nimirũ

quæ-

quædam secundo loco intellectæ. Primæ vocari possunt, res primo intellectæ, secundæ vero res secundo intellectæ. Vtreque intentiones in eo conueniunt, quod neutra dicitur intentio, nisi prout cognoscitur, ac terminat actum intelligẽdi, & vt dicit relationem ad intellectum.

Primæ, & secundæ intentiones inter se differunt: primo, quia primæ nominantur nominibus primæ intentionis, hoc est, impositionis quę nomina significant res, vt in se sunt, & vt absolute considerantur, sine relatione ad intellectum; vt natura humana hac voce Homo: secũdæ vero nominibus secundæ intentionis, siue impositionis, quæ significant res, vt sunt obiectiue in intellectu, vt eadem natura, species: secundo differunt, quia prima intentio est a parte rei, estque res ipsa realis, substantia nimirum, vel accidens, & ita per se subsistit, vel alteri inhæret: at vero secunda intentio non est a parte rei, neque per se est, nec alteri inhæret, tanquam subiecto, sed est solum obiectiue in intellectu; & ita, tunc est, cum intellectus eam considerat, & in eam fertur: vnde, intellectu non operante, nullo modo existit. Quare eorum quę dicuntur esse obiectiue in intellectu duo sunt genera: alia sunt quæ extra intellectum, & sine intellectu existunt; vt homo, & leo cognitus, quæ dicũtur esse obiectiue in intellectu, quia eius actum terminant, sicuti res visa dicitur esse in oculo, quia oculi actum terminat: alia quæ non existunt præter operationẽ intellectus, & ideo sunt, quia intelligũtur, vt sunt secundæ intentiones, & entia rationis. Rursus sunt alia quæ obiectiue, & subiectiue in intellectu esse dicuntur; vt sunt cogitationes, & operationes intellectus, quando a nobis cognoscũtur. Nam, vt cognoscuntur, & terminant actum intelli-

telligendi, sunt obiectiue in intellectu; vt vero sunt actus immanentes in intellectu, sunt in eo subiectiue, & tãquam accidens in subiecto. Vnde si quis contempletur actum suum intelligendi, iste actus duplici modo, iam dicto, dicetur esse in intellectu.

De diuisione primæ, & secundæ intentionis. Cap. VII.

PRimarum intentionum tria sunt genera: Primum, in quo continentur ea quæ re ipsa existunt sine vllo respectu ad rationem; vt homo, leo, cœlum. Secundum eorum, quæ nõ existunt in natura, sed solum habent esse per intellectum, sed quia significãtur hominibus primæ intentionis, non secus ac si essent aliquid in re, ideo dicuntur primæ intentiones; vt chimæra, mons aureus, & ea quæ intellectus fingit, ex ijs quæ cernit in rebus. Tertium eorum, quę non sunt quid reale, designant tamen negationẽ priuationemve entis realis; vt cæcum, tenebrosum, quæ formaliter includunt priuationem, in aliqua re. Neque enim homo dicitur cæcus, quia intellectus hoc cognoscit, sed re ipsa existit cæcus; quamuis cæcitas non sit res, sed rei priuatio. Et licet entia mere ficta, & priuationes secundæ intentiones, vel entia rationis appellentur: tamen non proprie, quia ita intelliguntur, ac si essent in re, & non consequuntur aliquid prius cognitum ab intellectu, & non sunt meræ relationes rationis; ac proinde vocantur primæ intentiones. Quæ sunt in secundo genere dicũtur interdum entia rationis, quia a ratione concipiuntur,

piuntur, & non exiſtunt re ipſa: quæ vero ſunt in tertio, cum nihil ſint in re, ideo eſſe dicuntur; quia a ratione apprehenduntur, & ita cognoſcũtur, & ac ſi eſſent aliquid. Atque hæc de diuiſione primæ intentionis pergamus ad ſecundam.

Prima diuiſio, ſecundarum intentionum, aliæ ſunt immediatę, vt illę quæ proxime conueniũt rebus, vt eſſe obiectum, eſſe cognitum, & abſtractum: aliæ quę conueniunt rebus mediate per illas priores; vt eſſe vniuerſale, eſſe indifferens ad multa: quæ conueniunt rei iam abſtractæ a ſingularibus: aliæ rurſus; quæ iſtas ſequuntur; vt eſſe ſpeciem, eſſe genus, eſſe genus ſupremum, vel infimum; quæ ſequuntur naturam cognitam, vt vniuerſalem. Quare, ſecundum hanc conſiderationem varij poſſunt conſtitui ſecundarum intentionum gradus.

Secunda diuiſio, intentionum ſecundarũ, alię conueniunt omni enti; vt eſſe prædicabile, ſubijcibile, vniuerſale, particulare: aliæ quę ſolũ conueniunt ijs quæ ſunt in ſerie prædicamentali; vt eſſe genus eſſe ſpeciem: aliæ quæ ſolum certę categoriæ, vt eſſe perſonã, ſignificare hoc aliquid, non prædicari de ſubiecto, quæ conueniunt ſoli ſubſtantiæ: eſſe accidens proprium, vel cõmune, eſſe in ſubiecto, eſſe concretum, quæ ſolum accidenti tribuuntur.

Tertia diuiſio, alię ſignificant quandam priuationem; vt eſſe abſtractum, eſſe vnum ſpecię, & numero: aliæ aliquam habitudinem, vel ad intellectum, vt eſſe cognitum, eſſe intelligibile, vel ad aliam rem cognitam, vt eſſe genus, ad ſpeciem, & eſſe prædicatum, ad ſubiectum.

Quarta diuiſio, aliæ conueniunt rebus, vt ſunt in prima operatione intellectus; vt ſunt omnes intentiones quæ tribuuntur rebus ſimplicibus,

quæ considerantur in libro prædicabiliũ, & prædicamentorum; vt esse vniuersale, genus speciẽ superius, inferius, &c. aliæ quæ attribuuntur rebus, vt sunt in secunda operatione; vt, affirmatio, negatio, verũ, falsum, &c. Aliæ denique quæ conueniunt rebus, vt sunt in tertia operatione; vt esse antecedens, consequens maiorem, & minorem extremitatem, & aliæ.

Quincta diuisio, intentionum secundarũ, aliæ sunt inter se contrariæ, vt sunt illæ quæ non possunt conuenire eidem rei, saltem secundum eandem considerationem, vt esse summum genus, & speciem infimam, esse vniuersale & particulare, prædicatum & subiectum: aliæ quæ eidem rei conuenire possunt; vt esse vniuersale, & genus: aliæ quæ necessario vni tantum rei conueniunt, vt esse singulare, indiuiduo, & esse genus supremum, summo generi.

Postremo diuidi possunt pro artium diuersitate; vnde aliæ sunt intentiones grammaticæ; vt esse nomen proprium, appellatiuum, primitiuũ, & deriuatiuum: aliæ rhetoricæ; vt esse membrum, periodum, exordium, & propositionem: & aliæ Logicæ, Grammaticæ pro diuersitate linguarum possunt esse diuersæ apud diuersas nationes; at Logicæ sunt eædem apud omnes, cum res quas sequuntur eædem sint.

Explicatur primarum & secundarum intentionum natura. Cap. VIII.

NOn erit difficile, ex ijs quæ diximus, vt arbitror, intelligere quæ sit intentionum natura, quam hoc capite explicandam proponimus, cum in superioribus aliqua parte iam explicata

fuerit. Vt autem adhuc clarius eā patefaciamus; docendum est, quæ sit earū materia, quæ forma.

Quattuor, vt ex allata doctrina colligere licet, sunt intētionum genera, duæ obiectiuæ, quę conceptus obiectiui vocantur; duæ formales, & vtræque primæ, vel secundæ. Intentiones obiectiuæ sunt res ipsæ cognitæ; formales vero sunt actus cognoscendi: illæ sunt tantum obiectiuæ in intellectu, hæ vero etiam subiectiuæ. Primæ intentionis obiectiuæ materia, sunt omnes res quæ quocunque modo, directe, vel indirecte cognosci possunt ab intellectu; vt sunt vniuersalia, singularia, positiua, priuationes, & negationes, vt conceptæ sunt sub aliquo reali, per quod possunt terminare potētiam intellectiuam. Quæ omnia non dicuntur intentiones obiectiuæ, nisi vt terminant actum intelligendi, & vt intellectę sunt. Quo fit, vt res in se consideratæ, & vt existunt extra animam, non dicantur intentiones. Forma vero est illa relatio, quæ consurgit in re cognita ad primam intentionem formalem, i. ad actum primum intellectus; a qua relatione res denominatur cognita, & intellecta. Quare, res cognita est veluti materia & denominatum; at vero relatio rōnis est veluti forma denominās. Materiale secundæ intentionis obiectiuę est natura, siue res iam cognita: formale sunt illæ relationes quæ adueniunt rebus per respectum rationis qui cōsurgit in rebus, vt sunt obiectiue in intellectu, in ordinem ad res alias. Exempli gratia relatio generis, est forma per quā natura generica existens in intelllectū refertur ad speciē: & relatio speciei est forma per quam natura specifica nominatur species; & idem dicas de alijs relationibus a quibus denominantur, subiectum, prædicatum, &c. At vero materiale intentionis

formalis, hoc est ipsius actus intelligendi, est ipsemet actus, vt operatio quædam est; formale est respectus quem intelligendi actus habet ad rē intellectam, per quem denominatur intentio formalis prima, vel secunda. His ita expositis, facile erit omnes dictas intentiones describere.

Intentio formalis est actus intellectus qui in aliquod tendit obiectum. Intentio formalis prima, est actus intellectus, siue notitia, & conceptus, quo prima intentio cognoscitur. Intentio secunda formalis, est actus secundus intellectus, quo secundæ cognoscuntur intentiones: quem aliqui reflexum vocant, sed impropriè. Prima intentio obiectiua, est natura realis, vt est primo cognita ab intellectu. Secunda intentio obiectiua, est relatio rationis quę sequitur res cognitas, vt secundario cognita ab intellectu. Vel, est relatio rationis a qua extrinsece primę intentiones denominantur, prout existunt obiectiuè in intellectu.

Explicantur dubitationes quædam circa secundas intentiones. Cap. IX.



Vm non sit instituti nostri integrum opus de secundis intentionibus cōficere; ideo quæ late de eis minus vtiliter disputari possent, in pauca cōferemus. Vt ergo quæ de re proposita dicenda restant, breuiter cōplectar, ea quibusdam dubitationibus perstringam; quibus, quæ hucusque diximus, manifestiora fient.

Prima dubitatio, an secundæ intentiones possint appellari entia. Vt huic dubitationi satisfiat, notandum est, quinque modis aliquid posse dici non ens. Primo, dicitur non ens id, quod habet

Aristo. 1. Physic. esse reale, sed diminutum ac imperfectum: quo modo materia prima dicitur non ens, cum sit imperfectissimum ens, & omni forma careat: similiter, accidens, cum per se non subsistat, solet appellari non ens. Secundo, dicitur non ens id, quod licet supponat ens, ipsum tamen formaliter non est ens, sed entis negatio, cuiusmodi sunt omnes priuationes; quæ dicunt entis absentiam in subiecto apto; vt cęcitas, tenebrę. Tertio dicitur non ens, id quod nullo modo significat, vel includit ens reale: quo modo quæ ab intellectu finguntur, dicuntur non entia; vt chimera, & id genus alia mere ab intellectu ficta: dicũtur tamen aliquo modo esse, prout habent esse fictum. Quarto, dicitur non ens, quod est mere nihil; vt cum dicimus, extra cœlum, esse non ens, vel ante mundum conditum, præter Deum, fuisse nõ ens. Postremo, dicitur non ens, quod non est in re, neque est mere fictum ab intellectu, sed consequitur operationem intellectus, estq; solum obiectiue in intellectu, cuiusmodi sunt secũdæ intentiones iam explicatæ. Hoc posito, ad dubitationem respondeo his dictis.

Primum dictum, secundæ intentiones possunt dici non ens, si nõ ens dicatur id quod per solum intellectum existit. Secundum dictum, secundę intentiones, non possunt dici non entia, si non ens sumatur pro eo, quod est mere fictum ab intellectu, & vt dicit priuationem. Quia, licet secundæ intentiones non existant, nisi per intellectum; tamen non sunt figmenta, sed vere relationes rationis, quæ necessario consequũtur res cognitas, quas vere denominant. Concludere itaq; licet secundas intentiones esse aliquid.

Secunda dubitatio, an secundæ intẽtiones sint entia realia. De hac re varij sunt modi dicendi,

quos

quos ad positam dubitationem respondendo insinuabimus.

Primum dictum, secundę intentiones sunt aliquid: patet hoc dictum ex prima dubitatione: & confirmatur, quia dantur nomina quibus significantur: igitur. Scdm dictum, secundæ intẽtiones nõ sunt operationes intellectus, siue mentis cõceptus. Primum, quia ista sunt entia realia: at secũdę intentiones sunt entia rationis: igitur. Secũdo, quia secundæ intentiones dirigũt intellectus operationes: ergo non sunt ipsæ orationes, cũ id quod dirigitur, diuersum esse debeat a dirigente. Tertio, secundæ intentiones denominant res cognitas; id quod non conuenit operationibus, & conceptibus mentis, a quibus res non dicũtur genera, vel species: ergo. Postremo, intellectus operationes considerãtur a Physico, & sunt entia realia: at secundę intentiones non sunt entia realia: igitur. Ex quibus inferres, non esse ipsas species intelligibiles, quæ repræsentant res ipsas: neque cognitionem reflexã, qua intellectus comparat duas res cognitas inter se. Tertium dictum, secũdæ intentiones non sunt denominationes mere extrinsecæ aduenientes rebus; sicuti, parieti, exẽpli gratia, aduenit extrinsece, quod dicatᷣ dexter, sinister, & visus. Primo, secũdæ intẽtiones Logicæ dicunt ordinẽ rerũ inter se, vt cognitę sunt; vt genus ad species, species ad indiuidua, prædicatũ ad subiectũ, & sic de alijs; igitur non sunt relationes mere extrinsecę. Secundo denominationes, extrinsecę attribuuntᷣ rebus per solũ respectũ ad intellectũ cognoscẽtẽ res ipsas: at prẽter istas dãtur alię q̃ cõueniunt rebus, vt ad alias res, vel inter se referuntᷣ, q̃ conferũt ad dirigẽdas operationes intellectus, sub qua ratione considerantur a Logico: igitur, pręter illas extrinsecas, ponẽdę sunt

 aliæ,

aliæ, quæ vere & proprie sunt secundę intentiones. Quartum dictum, secundæ intentiones sunt relationes aduenientes rebus inter se consideratis, prout cognoscuntur ab intellectu. Patet hoc dictū, primo ex superioribus dictis: quia cum non sint aliquid eorum quę confutauimus, restat vt nihil aliud sint, quam illæ relationes rationis quæ consequuntur res cognitas, quatenus vna comparatur cum alia. Exempli gratia, ex eo quod intellectus comparat hominem cum animali, & videt hominem habere rationem materiæ, ait esse subiectum: & quia animal habet rationem formæ, dicit esse prædicatum: & quia animal est quoddam totum vniuersale, quod cōtrahitur per differentias ad inferiora, vt ad hominem, & brutum, illud vocat genus, hanc vero speciem. Huiusmodi igitur relationes quas secundo loco intellectus cognoscit, sunt secundæ intētiones, & entia rationis, ita vt entia rationis, & secundæ intentiones sint idem.

Tertia dubitatio, an secundæ intentiones sint per se cognoscibiles? Respondeo, & sit primum dictum, secundæ intentiones, non sunt per se cognoscibiles. Nam, illud per se cognoscitur, quod per se primo potest terminare actum intelligendi, quod est proprium entis realis: at secundæ intentiones non sunt entia realia: igitur. Secundū dictum, secundæ intentiones sunt cognoscibiles per aliud, nimirum per naturas reales, sicuti & res spirituales per corporales: quo pacto Deus cognoscitur per creaturas, & anima per suos effectus.

Quarta dubitatio, quomodo secundæ intentiones conueniant primis, & de illis prædicentur: cui dubitationi satisfacio his dictis. Primū, secundę intentiones non dicuntur de primis intrinse-

trinse-

trinſece, & naturaliter: quia non ſunt de earum natura, nec in earum definitione ponuntur. Secundum dictum, ſecundæ intentiones conueniũt quodammodo naturaliter rebus, prout ſunt obiectiue in intellectu. Nam, ex eo quod homo, gratia exempli, eſt abſtractus ab inferioribus, & eſt ſecunda intentio habet, vt ei neceſſario conueniant hæ attributiones, vt dicatur vniuerſalis, ſpecies, & prædicabilis. Tertium dictum, ſecundæ intentiones non prædicantur de primis, vt in ſeipſis ſunt, ſed vt habent eſſe in intellectu: Quia non conueniunt illis, vt res ſunt, ſed vt cognitæ: at quod ſint cognitæ, non habent niſi per intellectum; igitur.

Quincta dubitatio contra id quod diximus, ſecundas intentiones non eſſe entia realia: Argumentatio, propoſitio, & definitio ſunt ſecundæ intentiones: at iſta ſunt realia: igitur ſecundæ intentiones ſunt reales: Confirmatũr, quia ad iſtas operationes nihil conſequitur, & nihil per eas de nouo producitur, igitur ſunt ipſęmet operationes. Similiter probari poſſet eſſe conceptus mentis; quia ſecunda intẽtio eſt aliquid, quod poteſt applicari multis: at huiuſmodi ſunt iſti conceptus; quia cõceptus hominis applicari poteſt pluribus hominibus; igitur: qua etiam ratione probares eſſe ſpecies intelligibiles, quæ ſunt vniuerſales in prædicando. Verum, prima ratio non conuincit; concedimus quidem, argumentationem, vt dicit intellectus operationem materialiter eſſe ens reale, & propoſitionem, vt dicit actum intellectus componentis; at ſecundę intentiones non ſunt iſtæ operationes, ſed denominationes, quæ adueniuñt rebus, vt ſunt in intellectu per iſtas operationes. Neque ſecunda, nam ſecunda intentio eſt ratio per quam natura concepta eſt

participabilis, & prædicabilis de multis; cuiusmodi non sunt ipsi conceptus: qui non prædicantur, sed naturæ ipsæ, vt substant secundis intentionibus. Atque idem diceres de speciebus, quæ solum repræsentant naturam secundum se, non vt participabilem a multis.

Denique, si quis contenderet esse meras relationes extrinsecus aduenientes rebus, vt dicunt ordinem ad intellectum apprehendentem, componentem, & ratiocinantem, cuiusmodi sunt relationes quæ adueniunt rebus, vt a sensibus cognoscuntur, & maxime a sensu cōmuni qui cōparat vnum obiectum vnius sensus cum alio; dicerem, ex dictis, præter istas extrinsecas relationes, & denominationes quæ consurgunt in rebus per ordinem ad intellectum cognoscentem, dari alias inter res ipsas cognitas, & has esse proprie intentiones logicas, quæ conferunt ad dirigendas intellectus operationes: cuiusmodi non sunt relationes quæ oriuntur ex cognitione, & comparatione sensus communis. Sed de secundis intentionibus hucusque; de quibus, si quid restat dicendum, dicetur in duobus sequentibus capitibus, in quibus de ente rationis agam.

Quibus modis sumatur ens rationis, & quæ scientiæ de eo agant. *Cap. X.*


Voniam ens rationis, natura, nō differt a secundis intentionibus; ideo de eo pauca dicemus, cum quæ de secundis intentionibus dicta sunt, bona parte, de ente rationis intelligenda sint: & qa ens rationis multis modis dici-

tur, propterea priore loco varias huius termini significationes explicabo, & ad quam artem eius consideratio pertineat docebo.

Quod igitur ad primum attinet, primo, ens rationis dicitur quidquid aliquo pacto pertinet ad rationem, vel tanquam forma, vt species intelligibilis, & artiū habitus: vel tanquam effectus, vt eius operationes, & denique, quidquid est in ratione. Contra vero ens reale dicetur quidquid est extra animam. Sed hęc acceptio est impropria, cum ista omnia sint vere ente realia, quę explicantur in Physica quæ est sciētia realis. Secūdo, dicitur ens rationis, id quod non habet esse cōpletū nisi per ordinem ad rationē; quo modo nōnulli dicunt tēpus, & relatiua esse entia rationis, cum aliquo pacto pendeant a ratione. Sed neque acceptio est propria, cū & tempus, & relata sint vere entia realia, licet secundū aliquam cōsiderationem, a ratione pendeant. Tertio, dicitur ens rationis, quod nō habet esse reale, sed dicit entis realis absentiam; vt sunt priuationes, & negationes; vt non homo, tenebræ, cœcitas, quæ tribuitur oculo, vt est videndi facultate orbatus, & a sola ratione percipit͛, vt quid ab oculo distinctū; quare cū ista nihil sint ī re, merito entia rationis dicuntur. Quarto, ens rationis dr̄ qđ est mere fabricatum ab intellectu, & quod in re existere nō potest, vel non habet fundamentū in re, nec rem cōsequitur: vt chimera, & ea quę intellectus fingit. Quinto, entia rationis dicuntur illa quę cōsequuntur res cognitas ab intellectu, vt habent esse obiectiuum, & cognitum in intellectu: quæ nihil aliud sunt, quam relationes illæ, & secundæ intentiones de quibus supra diximus: quarum aliæ dicunt negationem quandam, aliæ relationem positiuam, vt supra docuimus; Rursus

aliæ, dicunt solum ordinem ad intellectum cognoscentem: aliæ vero ad res ipsas, quæ inter se referuntur: & hæ sunt proprie entia rationis Lógica: quæ consequuntur res cognitas, & comparatas, & ab intellectu, prima, secunda, & tertia operatione perceptas.

Ex quibus colligeres, entia rationis a Logico considerata, non esse figmenta, sed veras relatiónes, & respectus fundatos in rebus, vt sunt in intellectu, quas res, vt supra docuimus, naturaliter consequuntur; sicuti proprietates reales, consequuntur res reales, vt esse risiuum, sequitur esse hominem. Atque hæc de primo.

Quod attinet ad secundum, agere de ente rationis ad varias pertinet scientias: loquor de ente rationis proprie accepto, iuxta vltimam significationem, sed vt plane rem hanc explicem, subijcio dicta quædam.

Primum dictum, agere de ente rationis primo modo sumpto, pertinet ad Physicum, dum agit de anima, eiusque potentijs, modoque intelligendi. Atque idem diceres de ente rationis secundo modo accepto, cuius consideratio pertinebit ad eam scientiam, quæ considerat eas res quæ aliquo pacto pendent a ratione.

Secundum dictum, agere de ente rationis tertio modo sumpto, vt dicit negationem; siue priuationem, pertinet ad eam scientiam, quæ considerat habitum, vel formam, ad quam sequitur priuatio: & ita de cecitate aget scientia quæ disputat de sensu visus.

Tertium dictum, agere de ente rationis quarto modo sumpto, vt est quid mere fictum, ad nullam pertinet scientiam. Quia scientia est de aliquo ente: at quod est fictũ, nón est ens; igitur: quó fit, vt dicatur æquiuoce ens.

Quartum dictum, agere de ente rationis, siue de relationibus quæ adueniunt rebus, vt dicunt ordinem ad potentias cognoscentes, pertinet ad scientiam quæ agit de ipsis potentijs, nimirum ad Physicam. Similiter agere de relatione rationis quę est inter terminos reales, vt inter creatorē, & creaturam, pertinet ad scientiam, quæ agit, de termino reali; vnde agere de relatione creatoris ad creaturam munus erit Theologi, vel Metaphysici.

Quinctum dictum, agere de ente rationis Logico, vt quoddam ens est, pertinet ad Metaphysicum; qui cum consideret ens, vt ens est, debebit considerare quidquid habet rationē aliquam entis, vt tale est. 7. Met. in fine.

Sextum dictum, agere de ente rationis, vt est instrumentũ, siue ratio cognoscendi, & dirigendi operationes intellectus, pertinet ad Logicum. Ratio est manifesta, quia eius est tradere cognitionem eorum, quæ conferunt ad rerum cognitionem comparandam.

Septimum dictum, etiam Grammaticus, & Rhetor de suis intentionibus, siue de ente rationis agunt. Quoniam in his etiā artibus sunt quędam entia rationis, secundæque intentiones, vt supra docuimus.

Quid sit ens rationis, & quomodo existat, & a secundis intentionibus differat.

Cap. XI.

QVattuor hoc capite explanabimus, quæ de ente rationis nobis explicanda restāt: quę etsi ex dictis aliquo pacto sunt manifesta; hic tamen

tamen planius explicabuntur: sunt autem ista, An ens rationis sit vere ens, quomodo existat, quid sit, & quomodo a secundis intentionibus differat.

Vt autem primum plane declaretur, animaduertendum est, non ens, vt supra docuimus, dici aliquid, vel quia habet minimum entitatis, vel quia supponit aliquid, cum tamen formaliter sit nihil, vt priuatio, vel quia est solum per intellectum, & nullum habet fundamentum in re, vel quia, licet nihil sit in re, habet tamen fundamentum remotum in rebus, vel denique, quia omnem prorsus negat entitatem, & dicit ipsum nihil.

Rursus animaduertendum est, duobus modis sumi ipsum nihil: primo, negatiue, quando non solum nullam entitatem ponit, sed etiam omnino quamcunque entitatem quocũque modo negat; altero modo positiue, quando, licet non ponat aliquam entitatem formalem, supponit tamen aliquod fundamentum proximum, vel remotum reale: quo modo priuationes, & relationes rationis dicuntur nihil. Inter primum, & secundum modum, hæc sunt discrimina: nihil, primo modo sumptum, non potest esse scibile nec esse obiectum alicuius scientiæ, alterum vero maxime: primum non potest denominare res reales, hoc potest: illud non potest habere conceptum positiuum, hoc habere potest: denique, illud est contradictorium entis, hoc nequaquam. His ita expositis, statuo hæc dicta.

Primum dictum, ens rationis non est nihil negatiuum. Quoniam ei conueniunt contrariæ conditiones, illis quæ conueniunt, non enti negatiuo.

Secundum dictum, ens rationis est nihil positiuum:

tiuum: hoc est non est tale ens, quod dicat formaliter aliquam veram, & realem entitatem, supponit tamen illam pro fundamento proximo, vel remoto. Dicitur ergo esse nihil, quia non includit aliquam veram entitatem; dicitur, supponere aliquid ad differentiam nihili negatiui. Quod si peteres, quod nam est illud ens reale, quod supponit ens rationis; responderem, remote esse ipsas rationes rerum realium, & proxime operationes intellectus quas sequitur.

Tertium dictum, ens æquiuoce dicitur de ente reali, & de ente rationis. Primum, quia ens reale dicitur id quod vere est: at ens rationis nō est vere ens, sed solum secundum quandam similitudinem dicitur ens; sicuti imago hominis dicitur homo: erit igitur æquiuoce ens. Secundo, si diceret aliquam entitatem formalem, deberet considerari a Metaphysico; qui tamen á sua cōsideratione reijcit tale ens, igitur. Tertio si esset vere ens, vel esset substantia, & hoc non, vt est manifestum; quia non subsistit: vel accidens, & hoc etiam dici non potest; quia nulli rei inhæret, vt accidens: igitur. Postremo, ens analogice dicitur de substantia, & accidenti; igitur de ente reali, & rationis dicetur æquiuoce: cum magis distet ens rationis ab accidente, quam accidens a s bstantia.

Quod si obijcias, inter ens reale, & non ens, nihil intercedit: igitur ens rationis, vel erit nihil, vel ens reale: Respondeo inter illa dari ens quod habet similitudinem cum ente reali; vt inter hominem, & non hominem datur similitudo hominis: cum non sit mere nihil, nec mere ens, vt est probatum.

Cōtra vero, si probares esse ens reale, quia est

obiectum potentiæ realis, & quia habet caussam realem, nimirum intellectum cognoscētem res; dicerem, primam illatam rationē non concludere, nisi de obiecto proprio, & per se determinatiuo intellectionis: neque secundam, quia intelle-
Sonc. 6. Met. q 15.
ctus non est caussa per se entis rationis, sed consequitur: & cum sit relatio quædam, non est per se terminus productionis, siue intellectionis: Quare intellectus dicitur caussa efficiens entis rationis indirecte, prout ad eius intellectionē sequūtur entia rationis: quæ non propterea censenda sunt entia realia, quia ea denominant; cum solū extrinsecus denominēt. Sed de primo satis; nūc de secundo, in quo explicādum est, quale habeat esse ens rationis in intellectu:

Quattuor modis dicitur aliquid esse in intellectu; vno modo obiectiue tantum, vt illa quæ nullum habent fundamentum in re, vt entia mere fictitia: alio modo obiectiue, & subiectiue; vt cum quis speculatur ipsummet actū intellectus, vel aliquid quod insit, & inhęreat intellectui, vt sciētiæ & habitus: præterea, est aliquid in intellectu obiectiue, sed subiectiue est a parte rei; vt homo cognitus ab intellectu: postremo, est aliquid in intellectų obiectiue, subiectiue autem nec in intellectu, nec in re, nisi fundamentaliter, cuiusmodi sunt secundæ intentiones. Rursus duobus modis potest esse aliquid in intellectu; vno modo directe, quando per se suamque speciem obijcitur intellectui; vt res colorata, aspectu percepta: altero modo indirecte & consequenter, per speciem & cognitionem præcedentem alterius rei; quo modo anima est in intellectu per cognitionem operationum externarum ipsius. His notatis, pono hæc dicta.

Primum dictum, ens rationis nō habet esse in intel-

intellectu subiectiue: quia non est accidens reale, quod adhæreat intellectui. Secundum, ens rationis habet esse obiectiuum in intellectu. Quia non existit, nisi cum intellectus illud cognoscit, & apprehendit, vel intellectu cognoscente. Tertium, hoc esse obiectiuum quod habet in ratione, habet indirecte, quia nunquam per se objicitur, sed potius consequitur ad aliquam operationem intellectus: in quod postea tanquam in secundam intentionem intellectus ferri potest. Atque ex dictis facile erit docere, ac intelligere, quid sit ens rationis, quod tertio loco propositum erat.


Ens igitur rationis est relatio, siue proprietas quædam, quæ aduenit rei cognitæ, vt cognita est, per operationẽ intellectus. Huius descriptionis sententia satis patet ex ijs quæ hucusque de ente rationis, & de secundis intẽtionibus docuimus: ac proinde nihil est necesse, cur pluribus eam explicemus.

Sed peteret hoc loco quispiam, quonam pacto Logicus agat de ente rationis, dum agit de definitione, propositione, & syllogismo? Respondeo, dum explicat quæ & qualis debeat esse definitio, debet videre quidnam sit genus, quæ differentia, & an cum definito conuertatur: quod dum facit, entia rationis considerat, per quæ, quasi per amussim, videt an sint bene constituta. Similiter, cum agit de propositione, dum considerat, quid prædicetur, quid subijciatur, qui sit propositionũ ordo, siue materia, quæ oppositio; quæ æquipollẽtia, & contrarietas, entia inspicit rationis, per quæ, quasi per quosdam indices, videt earum integritatem, aut vitium. Non secus ac si aliquis per vmbram styli solaris videret, an esset recte collocatus, & quota hora esset. Pari ratione, dum agit de

de syllogismo, videt terminorum dispositiones, figurarum, & modorum varietatem, præmissarũ cohærentiam, & conclusionis ex præmissis dependentiam: quæ dum facit, entia rationis speculatur, relationes nimirum, & affectiones dictas, rebus in ratione existentibus aduenientes.

Denique, quod vltimo loco exponendum nobis erat, Entia rationis, & secundæ intentiones sunt idem prorsus; ita vt vna, & eadem sit eorũ definitio, atque natura: & si quid differunt, accidentaliter differunt: Nam relationes illæ quæ rẽ cognitam consequuntur, si considerentur in se, & vt a ratione pendent, suntque in ea obiectiue, dicuntur entia rationis: eædem vt per secundum actum, vel secundam intentionem formalem, cognoscuntur, & secundo loco obijciuntur, & in eas intellectus tendit, intentiones secundæ nominantur, idest res quædam secundo loco intellectæ, & rebus attributæ. De quibus, vt de ente rationis hæc dixisse volui: quibus, ni fallor, omnia continentur, quæ nonnulli, sine vlla necessitate, fusius & confusius docent.

An vniuersalia sint, & ad quem artificem eorum consideratio pertineat. *Cap. XII.*



Vod tertio loco tractandum proposuimus, id nobis in hac tertia huius libri parte exponendum est: cũ entia rationis, secundæque intentiones vniuersalia sequantur, & vniuersalibus attribuantur, sintq; vniuersalia earum fundamentum. Et quãuis a multis Logicus multa de vniuersalibus non logice dispu-

disputentur: nos tamen nostri propositi, & officij memores, ea dicemus quæ sint Logico accommodata, & satis.

Vniuersale duobus modis sumitur; complexe, pro propositione in qua prædicatũ pluribus conuenire dicitur; vt, omnis homo currit; & incomplexe, vt designat id quod habet ordinẽ ad multa; & cùm hic ordo sit multiplex, etiam vniuersale multis modis sumitur. 1. Poster. c. 1. 7. 10. Meta. c. 1.

Primo, dicitur aliquid vniuersale in caussando; quia est caussa efficiens, vel finalis multorũ; vt Deus; qui est caussa efficiens, & finalis omnium.

Secundo, in essendo, cuiusmodi esset aliqua forma, quæ informaret plura, si dari posset; vt si vna anima numero plures īformaret homines.

Tertio in vtendo, quo modo platea, dicitur esse vniuersalis ratione vsus; quia omnes ea vtuntur.

Quarto, in repræsentando, quia multa simul repræsentat; vt speculum, & species intelligibiles, & conceptus in mente humana, quibus multa repræsentantur.

Quincto, in significãdo, quia multa significat; quo modo aliquis terminus dicitur vniuersalis, vt homo, animal.

Postremo, in prædicando, quia attribuitur multis, & dicit de multis; vt natura humana de multis hominibus, & in hac vltima significatione potissimum a nobis hoc loco sumetur. Nomine igitur vniuersalium designantur naturæ quædam a singularibus seiunctæ, quæ habent ordinem attributionis ad multa, & possunt dici de multis; vt sunt genera, & species rerum: de quibus quæritur, an dentur, & an a Logico tractari debeant. quid autem de rebus propositis sentiendum, sit

S sequen-

ſequentibus dictis definiam.

Primum dictum, vniuerſalia dantur. Primum hoc dictum communis omnium ſapientiũ confirmat conſenſus. Deinde, quia alias non daretur ſcientia, quæ debet eſſe de rebus ſemper exiſtentibus, & de naturis ſecundum ſe cõſideratis, quibus per ſe conueniunt proprietates quę per ſcientiam cognoſcuntur. Denique, intellectus idoneus eſt ad intelligēdą vniuerſalia quæ ſunt eius proprium obiectum: igitur dari debent; ne nobiliſſima hominis potentia proprio careat obiecto; & vt homo vna voce ſignificat multa, ita cognoſcere debet vnum, quod eſt in multis: id autē eſt vniuerſale; igitur.

Lib. 1. poſter.

Libr. 1. Phyſ. tex. 49.

Secundum dictum, vniuerſale non eſt aliqua natura re ſeparata a ſingularibus. Non eſt itaque exiſtimandum vniuerſalia eſſe quaſdam formas ſeparatas a rebus, quarum participatione conſtituantur ſingularia, vt voluit Plato, qui eas formas, ideas appellabat. Quoniam iſtæ formæ debēt eſſe productæ, ac proinde ſingulares; quo fit vt nō poſſint attribui multis, ſi ſunt ſingulares: vt omittam, quod cum ſint extra res ipſas, non poſſunt eſſe ipſarum rerum formæ.

Plato. In Phęd.

Tertium dictum, vniuerſale nō eſt aliquid nobis inditum atque ingenitum a natura, ſicuti potentiæ ipſæ: quibus agimus, vt quidam voluere. Quoniam, ſi hoc eſſet, etiam idiotæ haberent vniuerſalium notitiam: cum quę ſunt a natura indita omnibus ſint cognita: at experientia contra docet; igitur. Vnde colligeres, nō eſſe verum quod alij dixerunt, vniuerſalia infundi humanis mentibus ab aliqua cauſſa extrinſeca: quoniā pari ratione infunderentur omnibus: & cum ſciētia ſit quædam humana perfectio, modo debet acquiri humano, & naturali; non per aliquam cauſſam extrin-

Plut. de plac. Phil. c. 10.

Auic.

extrinsecus in nobis agentem.

Quartum dictum, vniuersalia, sunt potestate in rebus ipsis; & ita naturæ quæ denominantur vniuersales, sunt in re, fiunt autem actu vniuersales, vt sunt obiectiue in intellectu, qui est caussa efficiens vniuersalitatis in rebus, vt postea dicetur.

Quinctum dictum; omnes scientiæ agunt de vniuersalibus, id est considerant; & tractant res vniuersales: non tamen omnes explicant naturã vniuersalium. Doctrina est manifesta; quia scientia non est de singularibus: ergo omnes scientiæ considerant res vniuersales: at vero doctrina de natura vniuersalium non traditur ab omnibus scientijs, sed a quibusdam, & quidem diuersa ratione.

Sextum dictum, agere de vniuersalibus pertinet ad varios artifices, Metaphysicus considerat naturam vniuersalium, explicando eorum entitatem & proprietates, caussasque: Physicus, tractat vniuersalia, vt sunt obiectum intellectus, & vt consequuntur intelligentiæ operationes: Logicus vero, vt substant secundis intentionibus, & vt eorum notitia confert ad dirigendas humanę mentis operationes.

De caussa efficienti vniuersalium. Cap. XIII.



Cum ergo vniuersalia, vt docuimus, non sint res aliquæ re existentes a singularibus seiunctę, nec sint a natura indita, aut ab aliqua externa caussa de nouo in humana mente producta, hinc fit, vt non sint ante operationem

intellectus, & si quid sunt, esse per intellectum; vt vere illud ab Aristotele de vniuersali pronunciatum fuerit, Aut nihil esse, aut quid posterius. Fiunt ergo vniuersalia ab intellectu, qua autem ratione, paucis explanabo.

In hac rerum vniuersitate multæ ac variæ dãtur rerum species, quæ partim differunt, partim conueniunt, vt est etiam sensibus manifestũ. Et quoniam vniuersale nihil aliud est quam natura quædam communis multis, quæ potest attribui multis; hinc est, vt tũc dicatur aliquid fieri, & esse vniuersale, cum cognoscitur, vt cõmune multis, & indifferens ad multa. Et vt in mundo multæ existunt rerũ species, ita & in vna, & eadem re multæ naturæ, & rationes multæ; vt in homine substantia, accidens, & varia accidentia, varijque gradus substantiæ; sentiens, viuens, & alij. Quarum naturarum diuersitas partim sensibus varijs, partim intellectu cognoscitur.

Est enim in homine duplex cognitio, vna sensitiua, quæ sensatio, altera intellectiua, quę intellectio dicitur: quæ duæ cognitiones partim conueniunt, partim differunt. Conueniunt quidem, quod vtraque suum proprium percipit obiectũ: quod non faciũt, nisi cũ ipsis per species vniatur: & dum vnum percipiunt, abstrahunt ab alio; Vt ecce, dum oculus fertur in pomũ, percipit in eo esse coloratum, & abstrahit a sapore, & odore: similiter, dum intellectus percipit solum naturam humana quæ est in Petro, dicitur abstrahere a nous, siue a cõditionibus singularibus Petri: quã abstractionem, Præcisiuam vocant.

Differunt autem sensus, & intellectus primũ in eo, quod cu sensus sit potentia materialis, non potest componere, aut coniungere vnam notitiã cum alia, seu affirmare, aut negare vnam rem de

alia:

alia: intellectus autem, cum sit a materia seiunctus id potest; & ita actu separat vnam rē ab alia; vt ab homine, esse lapidem: & vnam cum alia cōiungit; vt, cum homine, viuens. Separationē istā quam facit intellectus, Negatiuam vocant. Potest itaque intellectus cognoscere vnum relicto alio, & vnum separare ab alio: ac proinde in eo vtraque erit abstractio, præcisiua, & negatiua. 3. de ani. t. 4.

Rursus differunt ratione specierum per quas cognoscunt: species sensibilis repræsentat rem vnam singularem, materialem, cum circunstantijs sensui exteriori: at sensui interiori etiam rem absentem, vestitam tamen conditionibus singularibus per phātasma materiale. Species vero intelligibilis, producta vi intellectus agētis, reprę- 3. de ani. sentat naturam nudam sine circunstantijs, & cōditionibus singularibus: quæ natura sic repręsentata, est indifferēs ad multa, & apta esse in multis, & dici de multis, cū per abstractionem pręcisiuā consideratur, vt separata a singularibus: & ita, nō fit vniuersalis, sed cognoscitur, vt vniuersalis. Nec enim vniuersalia producūtur ab intellectu, sed consequuntur eius cognitionem abstrahentem a singularibus, per quam dicitur facere vniuersalitatem in rebus, idest indifferentiam illā, & communitatem, per quam res sic spectata, potest dici de pluribus.

Natura igitur aliqua hoc modo cognita, vt est obiectiue in intellectu per speciem intelligibilē, est apta prædicari de pluribus; ac proinde dicitur vniuersalis in pręedicando. Videt ergo, gratia exempli, oculus Petrum per speciem sensibilē, vt singularem, & pręsentem: qui, si recedat, ob intro ductā sui specie percipitur a phantasia, vt absens, sed cū suis conditionibus singularibus, & materialibus: postea, per specię intelligibilem, remotis

eius notis, repræsentatur sola natura humana, in quam intellectus fertur & terminatur; ac proinde, dicitur esse obiectiue in intellectu, & indifferens respectu inferiorum.

Vt ergo sensus percipit rem singularem, & accidentia, relicta substantia & vniuersalitate; ita intellectus percipit nudam naturam ipse singularitate. Quoniam vero vniuersale est quædam natura in qua conueniũt multa, & qua ratione multa conueniant cognosci non potest, nisi per comparationem & collationem; propterea ad hoc vt vniuersale cognoscatur, opus est aliqua notitia, & cognitione comparatiua.

Primum igitur, ope sensus, intellectus percipit multa singularia diuersarum specierũ, vt multos homines, & equos, videtque ea ob varia accidentia esse distincta, vnde illa per comparationẽ separat inter se; vt singulos canes a singulis hominibus. Postea per eosdem sensus singulares notas subministrantes, cognoscit singulos homines inter se partim differre, partim vero cõuenire, ob quasdam proprietates quibus a ceteris animãtibus differunt, & inter se conueniunt; ac ita ex singularibus hominibus colligit quandam naturam singulis communem, in eamque solam a singularibus notis seiunctam fertur, & conficit, aut percipit quiddam commune sub quodam esse cõfuso, ac proinde quoddam vniuersale.

Verum, sub hoc conceptu nondum plene percipit, an sit vniuersale, & quidnam sit vniuersale: quod, cum sit quid relatiuum, dicit ordinem ad sua inferiora quæ dicuntur singularia. Vnde opus est cognitione cõparatiua, ad plene cognoscendam vniuersalis naturam. Atque eo modo quo diximus ab indiuiduis abstrahere naturam communem specificam, eodem modo a multis

specie-

speciebus per collectionem abstrahit unam naturam genericam communem multis speciebus, dum eas in quadam communi ratione conuenire cognoscit; vt omnes animalis species in hoc, quod sint substantiæ sentientes: & omnia animalia sentientia, in hoc, quod viuant. Hunc itaque in modum colligit naturas specificas & genericas, dum fertur in illos gradus communes, quos cum percipit, vniuersalia cognoscit, & habet. Vt autem quæ in hac re tenenda sunt, paucis complectar, nonnulla subijcio dicta.

Primum dictum, vniuersalia fiunt per intellectum, seu vniuersalitas, qua res dicuntur vniuersales, consurgit in rebus opera intellectus. Patet hoc dictum ex superioribus, quia vniuersalia dantur, & nullam aliam habet caussam; igitur. Deinde, quia, vt quidam scripserunt, intellectus hanc vim habet, vt possit vnam rem ab vno ordine ad alium transferre, & facere vniuersalitatem in rebus. Et ne existimes hanc vniuersalium confectionem & abstractionem esse quid vanum, vt quidam vanissime existimauit; ideo Aristoteles dixit, Abstrahentium non esse mendacium. Auenr. Nizol. 2. Physic.

Secundum dictum, vniuersale fit per primam cognitionem intellectus; ita vt illa natura in cõfuso considerata, possit dici, & fit vniuersalis antequam comparetur ad singularia. Nam, vniuersale, vt statim dicam, est illud quod est aptum prędicari de pluribus: at natura sic considerata est apta prædicari de pluribus; igitur. Adde etiam, tunc naturam dici vniuersalem, cum adepta est vniuersalitatem: sed vniuersalitas consurgit ad hunc naturæ statum, siue ad hanc considerationem: erit igitur vniuersalis.

Tertium dictum, vniuersale non cognoscitur nisi per notitiam comparatiuam ad sua inferiora

Aristot. c. de relat. a quibus abstrahitur. Quoniam vniuersale est qd relatiuum: quod non cognoscitur, nisi compara tum ad suum correlatiuum: atqui inferiora sunt relata vniuersalis; igitur hoc non cognoscetur, nisi illa cognoscantur.

Quartum dictum, tunc natura aliqua dicitur vniuersalis, quando repræsentatur per speciem intelligibilē, seu cum consideratur sine conditio nibus singularibus. Patet hæc doctrina ex dictis.

Quinctum dictum, vniuersalitas est quædam secunda intentio quæ aduenit rei ab extrinseco, quatenus est obiectiue in intellectu abstracta ab inferioribus, de quibus potest prædicari.

Verum quod attinet ad progressum & ordinē, quo fit vniuersale, non est idem dicendi modus. Nam qui omnes species, tum sensibiles, tū intelligibiles tollunt; ita rem exponūt. Primo sensus suū percipit obiectum: deinde phantasia imagina tur illud: postea intellectus, per coniunctionem quam habet cum phantasia, intelligit singularia, vt singularia sunt: postremo cōparat illa inter se, & abstrahit quandam naturam communem: per quā abstractionem illa natura denominat᷑, & fit vniuersalis, ab actu intellectus abstrahente: vel, vt alij volūt, ab alio actu, nimirum ab eo qui cōsiderat istam naturam esse participabilē a multis.

At vero qui concedūt species sensibiles, & negant intelligibiles, hoc pacto fieri dicunt. Primo sensus percipit suum obiectum per species acceptas ab illo: deinde istæ species producunt phantasmata in phantasia: postea intellectus considerat naturas singulares repræsentatas per phantasmata immediate: a quibus tandē abstrahit vniuersalem naturam. At qui illi concedunt etiam species intelligibiles, a secūdo dicendi modo differunt in hoc, quod positis phātasmatibus, intelle-

ctus

ctus agens, ex illis elicit species spirituales quas intelligibiles vocant, quæ repræsentant obiectũ & naturam denudatam a conditionibus singularibus: quæ natura cognoscitur per intellectũ possibilẽ, vt participabilis a multis, & ita fit vniuersalis. Ex his q̃ dicta sunt nõnulla colligere licet.

Primum, a parte rei non esse, nisi vnitatem numericam, cum res singulæ sint productæ, ac proinde singulares.

Deinde, vniuersale esse solũ in potentia a parte rei, non actu: quia natura singularis, cũ sit hęc, non est apta esse in pluribus: neque enim natura specifica per vllas contrahitur differẽtias, sed seipsa multiplicatur in indiuiduis.

Præterea, vniuersalia non esse voces ipsas, seu conceptus vniuersales, sed veras & reales naturas. Nã, illud est vniuersale, quod prædicatur, & attribuitur rebus: at cũ dico, Homo est animal, non dico hominem esse vocem, vel conceptum: igitur. Adde etiam quod cum scientia sit vniuersalium, si vniuersalia essent voces, scientia esset de vocibus & conceptibus tantum. Quare, licet conceptus sint vniuersalia formaliter, & voces significatiue, siue instrumentaliter, quatenus per eas enunciamus naturas vniuersales; non sunt tamen ipsa vniuersalia. 4. Meta. c. 1. 1. Poster. tex. 11.

Rursus sequitur ex dictis, vniuersale quattuor modis considerari posse: Primo, vt dicit naturam ipsam realem secundum se: secundo, vt dicit eãdem naturam, vt est prima intentio, & est obiectiue in intellectu: tertio vt dicit illam vniuersalitatem, & indifferentiam, siue secundum intentionem, quæ aduenit rei, vt est in intellectu: quarto, vt dicit naturam simul cum ipsa intentione, & vt est quoddam concretum, sicuti album: vt, genus, pro natura generica, & pro relatione ad Capr. 3. 5. d. 5. q. 3. D. Tho. 1. p. q. 88. ar. 2. ad 2. Et 2. de ani. lect. 12. Opusc. 49.

speciem. Natura secundum se, dicitur materiale vniuersalis; secunda illa intentio, formale.

Quid & quale sit vniuersale *Cap. XIIII.*

EX iis quæ de vniuersalibus hucusque docuimus, haud difficile erit intelligere quid sit vniuersale: ad cuius naturam, & proprietates melius explicandas, illud etiam prænotauerim, vniuersale ad sui constitutionem quaedam
1. Poster. c.8. requirere conditiones, quæ sunt istæ: Prima, vt sit vnum; & ita excluduntur complexa. Secunda, vt sit vnum nomine, & ratione, & ita reijciuntur æquiuoca: analoga verò, & transcendentia possunt dici vniuersalia, sed non vniuoca. Tertia, vt sit cōmune multis de quibus diuisim prædicari possit. Postrema, vt, si consideretur, vt prędicabile, directè de suis inferioribus prædicetur. Quo fit, vt vniuersale dupliciter considerari possit; primo secundum suam essentiam: deinde secundum hanc proprietatem, quæ est, prædicari. His ita adnotatis, ad ea quæ proposita sunt respondeo his dictis.

1. Interp. c.5. Primum dictum, vniuersale, vt dicit secūdam intentionem, seu proprietatem, & rationem formalem aduenientem ei per operationem intellectus, eodem modo definitur, vt ens rationis, vel secunda intentio.

7. Metap. c. 13. Secundum dictum, vniuersale, vt prædicabile sic definitur, vniuersale est id quod de pluribus aptum est prædicari; hoc est, est vna natura simplex, quæ de pluribus vniuoce prædicari potest, directæ; vt homo, animal, prudentia, virtus.

Tertium

Tertium dictũ, vniuersale, vt est natura quædam seorsim ab inferioribus considerata, vel secundum essentiam suam, hoc modo describitur; vniuersale est id quod aptum est, vt in pluribus intrinsece, vel extrinsece insit; hoc est, natura realis, quæ, ex se, apta est esse in pluribus; vt natura sensitiua, natura rationalis, & color. Inter has duas definitiones illud est discriminis, quod prima datur per proprietatem, & passionem, quę est prædicari: altera verò quasi per essentiam, siue per caussam; caussa enim cur aliquid de pluribus prædicari queat est, quia potest esse in pluribus. Cur autem in vtraque definitione dictũ sit, Aptum, ea est ratio, quia non est de natura vniuersalis, vt actu prædicetur, aut sit in pluribus; sed hæc, vt dici, & esse possit, saltem per non repugnantiam in pluribus; vt natura phœnicis, solis, & aliarum rerum, quarum vnicum tantum reperitur indiuiduum. Nam, vt Deus potest facere decem mundos, ita & decem soles, qui essent speciei eiusdem.

Quartum dictum, vniuersalis proprietates sunt fere istæ: Prima, esse prædicabile, idest posse attribui multis: secunda, esse separatum a singularibus, non re, sed ratione: tertia, esse intelligibile, & scibile: quarta non generari nec corrumpi, aut existere per se, sed per accidens: quincta, esse totum quoddam, quod potestate cõtinet sua inferiora; quia, vt est in singularibus, est potius pars, quam totum: sexta, quodãmodo esse prius, & quodammodo posterius singulari: septima, esse vbique, & semper; singulare contra dicitur esse hic, & nunc. 1. Poster. c. 24.

Quod autem dicitur de vniuersali, esse vbiq;, & semper, non est intelligendum positiue, quod solius Dei est, sed negatiue, quia non est in certo loco,

to loco, & tempore circunſcriptum: vnde homo vniuerſe ſumptus, non intelligitur, vt determinatus certo tempore, & loco. Sed hæ vniuerſalis proprietates, melius intelligētur ex ijs quas nūc ſubijciam dubitationibus. Patet ergo ex dictis, quid & quale ſit vniuerſale.

Explicantur dubitationes quædam circa naturam, & proprietates vniuerſalis. *Cap. XV.*



Væ nobis de vniuerſalibus dicenda reſtant, ea quibuſdam dubitationibus perſtringemus: quibus quæ ſupra docuimus, ea dilucidiora fient.

Prima dubitatio, ſunt ne vniuerſalia entia, nec ne? Reſpondeo, ſi vniuerſalia ſumantur pro rebus ipſis quibus attribuitur vniuerſalitas, ſunt res; & aliquando ſubſtantia; vt viuēs, corpus; aliquando accidens, vt candor; color, virtus. Quod ſi Ariſtoteles aliquādo dixit; vniuerſalia non eſſe ſubſtantias, hoc eſt non exiſtere, intellige, non exiſtere per ſe; quia ſunt in ſingularibus. Si vero ſumantur formaliter ratione vniuerſalitatis, poſſunt dici non entia, id eſt non realia, cum ſint entia rationis: & ſecundum ſimilitudinem entia.

7. Metap. tex. 20.

Secunda dubitatio, ſunt vniuerſalia corporea, vel incorporea? huic dubitationi reſpōdetur his dictis.

Primū, ſi vniuerſale abſtrahatur a rebus incorporeis, puta ab Angelis, qui carent compoſitione ex materia & forma, vniuerſale erit incorporeum.

Secundum, ſi corpus ſumatur pro compoſito

ex

ex materia & forma; vniuersalia abstracta a rebus corporeis sunt corpora.

Tertium, si corpus sumatur pro trina dimensione, vel pro substantia singulari habente hanc trinam dimensionem, vniuersalia non sunt corpus: quia non sunt trina dimensio, vel singularia. Vnde inferres, vniuersalia non esse abstracta ab indiuiduis, nisi per intellectum: ac proinde, vt ex dictis patet, existere in indiuiduis.

Tertia dubitatio, an vniuersalia possint esse sine singularibus? Respondetur, si loquamur de existentia reali, certum est non posse esse sine singularibus: quia, cum vniuersalia sint secundæ substantiæ, vel communia accidentia, impossibile est, vt consistant sine primis: at vero, si loquamur secundum existentiam intentionalem, possunt esse sine illis: siquidem nulla existente rosa, vel homine, intellectus potest concipere hominem communem multis: & ita dicetur habere esse obiectiuum, siue intentionale. Cap. de subst.

Quarta dubitatio, sint ne vniuersalia æterna, & incorruptibilia? Huic dubitationi satisfacio his dictis. Capr.3.5. d.5.q.3. con.3.

Primum, qui ponunt mundi ęternitatem, dicerent esse æterna secundum realem existentiam.

Secundum, ex vera philosophia, vniuersalia ratione existentiæ non sunt æterna, nisi ratione perpetuitatis quam habent in mente diuina.

Tertium, vniuersalia sunt corruptibilia per accidens; qua etiam ratione dicuntur generari, & corrumpi, vt sunt in singularibus, quæ per se generantur, & corrumpuntur.

Quartum: vniuersalia vocari possunt incorruptibilia negatiue, prout nullum habent corruptionis principium.

Quin-

Ian. 3. Met. q. 9. & 10. & alij. Quincta dubitatio, an vniuersalia sint principia componendi; vt sicuti materia & forma conueniunt ad compositionem, ita etiam vniuersalia, vt aliqui voluerunt; ex quorum sententia, tot sunt principia componētia indiuidui, quot sunt eius prædicata essentialia vniuersalia: & ita Petrus diceretur compositus ex natura humana, animalis, & viuentis. Alij vero contra sentiunt, quorum verior est sententia. Dicimus ergo primum, vniuersalia esse principia cognoscendi naturas singulares; & principia realia ex quibus res cognoscuntur. Quia rei cognitio pendet a cōgnitione prædicatorum intrinsecorum: atqui vniuersalia sunt huiusmodi respectu indiuiduorum: igitur. Dico secundo, vniuersalia non esse principia essendi, seu compositionis: quia non sunt, nisi per intellectum: igitur non possunt esse principia rerum realiter existentium.

Zimar. in annot. in q. citat.

D. Tho. Opusc 55. Aristo. 5. de subst. Sexta dubitatio, sit ne vniuersale prius, an vero posterius singulari? Respondeo, & sit primum dictum, singulare est prius quam vniuersale tribus modis: primo quoad existentiam, quia est basis, & fundamentum vniuersalium: secundo, quoad exequutionem, seu productionem: quia natura nō intendit generare vniuersale, nisi per singulare: tertio, ratione cognitionis confusæ: quia vniuersale, non potest fieri sine præcognitione singularium.

Secundum dictum, vniuersale est prius singulari duobus modis: primo quoad intentionem: quia natura non intendit singulare, nisi ob speciei conseruationem: secundo, ratione cognitionis distinctæ: quoniam non cognoscitur perfecte singulare, nisi prius distincte cognoscat vniuersale.

Septima dubitatio, vtrū sit magis ens, vniuersale, an particulare.

Pri-

Primum dictum, vniuersale est magis ens extensiue; quia plura continet, quam singulare; vt homo, quam Petrus.

Secundum dictũ, singulare est magis ens quã particulare intensiue, hoc est, plures habet entitatis gradus. Quia continet totam vniuersalis entitatem, & perfectionem, & aliquid amplius: igitur: Petrus enim plura continet, quam homo.

Octaua dubitatio, quomodo vniuersalia contineant sua inferiora.

Respondeo, & sit primum dictum, Vniuersale aliquo modo continet sua inferiora. Ratio, quia est quoddam totum: at totum debet in se habere aliquo modo partes: igitur. Porphyr.

Secundum dictum, vniuersale non continet sua inferiora actu. Quia alias sequeretur duas species, & differentias contrarias esse actu in genere, quod est impossibile: neque enim animal potest esse rationale, & irrationale actu.

Tertium dictum, vniuersale non continet sua inferiora tantum in potentia. Quia quod continet aliquid solum in potentia, non potest dici totum respectu illius, cũ nihil eius in se contineat, quo modo aer tenebrosus dicitur continere lucem, cuius tamen nihil in se habet, sed solum eã recipere potest: at vniuersale est quoddam totũ respectu suorum inferiorum: igitur aliquid eorum in se habere debet.

Quartum dictum, vniuersale continet potestate, vel actu confuso sua inferiora. Continere potestate aliquid, est habere in se entitatẽ illius, sed modo indistincto: sicuti in quantitate continua continentur partes potestate, quarum quantitas, siue entitas est in toto, cum tamen partes non sint actu distinctæ.

Et vt hanc totam de vniuersalibus tractationem

nem concludam, quæ nam sint vniuersalis caussæ, ex dictis eas colligendo breuiter ob oculos ponam.

Caussa materialis remota, sunt res ipsæ: proxima sunt eædem, vt sunt obiectiue in intellectu, seu materia sunt phantasmata rerum singulariũ ex quibus abstrahitur vniuersale.

Efficiens est intellectus agens, qui non facit rem ipsam, sed vniuersalitatem, vel speciem intelligibilem, quæ postea repræsentat rem ab omnibus proprietatibus singularibus auulsam. Indi recte igitur res dicuntur fieri vniuersales; non quod aliquid eis addatur, aut de eis detrahatur, sed quia vniuersaliter repræsentantur & concipiuntur. Forma est illa vniuersalitas, seu secunda intentio, quæ aduenit rei vniuersaliter repræsentatæ. Finis denique est, vt intellectus suum habeat obiectum, & rerum scientiam, quæ non habetur nisi vniuersalium.

1. Poster. tex. 42.

Explicantur nonnullæ dubitationes, circa quæ dicta sunt de vniuersalibus.

Cap. XVI.



VT adhuc planius, quę de vniuersalibus summatim dixi, Tyrones percipere, ac etiam melius tueri queãt; antequam huic disputationi finem facio, quasdam dubitationes aduersus ea quæ dicta sunt afferam, ac dissoluam.

Prima dubitatio, quid sint ideæ Platonis de quibus facta est mentio, & cur eas posuerit? Respondeo, non me fugit quam late de hac re disputari possit, & aliquando disputauerim: nunc tamen breuiter ad propositam dubitationem respondebo,

bo, cuius rudi notitiâ, antequã veniatur ad Metaphysicam cuius est rem hanc diligenter explanare, est omnino ad multa Aristotelis loca intelligenda necessaria. Plato igitur, si Aristoteli credimus, nomine ideę intellexit quasdam species, formasque ipsarum naturarũ, ab ipsis rebus abstractas vniuersales, & incorruptibiles; quarum participatione res singulares in hac, vel illa specie constituuntur. Vnde ideam hominis appellabat per se hominem, & socratem, hominem per participationem illius ideæ; sicuti sol dicitur per se lucidus, & quę ab eo lucem capiunt, lucida per participationem. Quare, istæ ideæ, veluti exemplaria quædam, se rebus singulis communicant, suamque naturam, & formam illis imprimunt; sicuti sigillum cerę. Posuit autem Plato ideas ob has potissimum caussas: vt doceret quibus de rebus habeatur scientia, cum non sit singularium, & corruptibilium: vt doceret, quomodo omnia generantur a suo simili: quia omne quod est tale per participationem reuocari debet ad aliquid per se: & denique, quia vt intellectioni particulari respondet res particularis; ita vniuersali notioni, res vniuersalis respondere debet. Et si hoc voluit Plato, eius sentẽtia est omnino falsa, quia illæ ideæ, si sunt productæ, sunt singulares: & cum sint extra res ipsas, non possunt esse rerum formæ, & res in tali natura constituere: & vt sunt tales per participationem, reuocantur ad primũ rerum omnium efficiens, nimirum ad Deum; in quo, vt Theologi docent, rerum ponuntur ideæ, exemplaria nimirum in mente diuina, ad quarum similitudinem omnia creauit, idque, vt aliqui volunt, affirmauit Plato. Sed de his accuratius alibi.

1. Poster. 2. Physic. Li. 1. Eth. In Parmen. Tim. Sen. Aug. lib. 83. qq.

Secunda dubitatio, diximus vniuersalia fieri,

& abstrahi per intellectũ, quod videtur falsum: Quia intellectus non facit res, neque aliquid abstrahit a natura singularibus, sed eas relinquit, vt sunt. Respondeo, intellectum non facere res ipsas, quia intelligendo nihil producit præter suã operationem; sed facit vniuersalitatem in rebus, hoc est indifferentiam illam, quæ aduenit rei, vt solitarie cognoscitur, prætermissis notis singularibus: quas dum prætermittit, dicitur, abstrahere res vniuersales a singularibus, quæ non est abstractio quædam realis, sed vnius cognitio, prætermisso alio; vt cum oculus in pomo percipit colorem prætermisso sapore.

Lib. 1. Physic. Tertia dubitatio, vniuersale est obiectum intellectus: obiectum autem debet præcedere actũ potentiæ, quæ circa illud versatur; sicuti spectabile præcedit actum spectandi: ergo vniuersalia præcedunt operationem intellectus: atque proinde erunt in re. Respondeo, argumentum hoc solum probat vniuersale debere præcedere actũ intellectus possibilis, quo cognoscitur vniuersale, non autem actum intellectus agentis, quo ꝓducuntur species quę rem vniuersalem repręsentant. Vel dicas, præcedere obiectum quantum ad rem, non autem quantum ad modum, hoc est p̃cedit natura quæ dicitur vniuersalis, sed non pręcedit vniuersalitas, & indifferentia, quæ ei per intellectum aduenit. Est itaque fallacia in argumento a re ad modum.


Quarta dubitatio, vt res se habet in esse, ita in cognitione: atqui in esse res sunt singulares: igitur cognoscuntur vt singulares; alias si non cognoscerentur, vt sunt, male cognoscerentur. Respondeo, in hoc etiam argumento contineri fallaciam eiusdem generis cum superiore. Nam, si illud, Vt sunt, dicit rei naturam, rationemq;, cõ-

cedimus

cedimus res cognoſci debere vt ſunt; puta, homo vt rationalis, non ſub alia ratione. Si vero dicit rei modum quo intelliguntur, negamus debere cognoſci, vt ſunt, id eſt, vt ſingulares.

Quincta dubitatio, Petrus & Paulus ante omnem intellectionem magis conueniũt, quam homo & animal, & duo parietes ſimiles in albedine: igitur dabitur a parte rei natura communis in qua conueniant. Reſpondeo, in re ante intellectus operationem nulla eſt vnitas præter numericam; cum quæcunque natura producta ſit ſingularis: in qua, vt in fundamento, eſt vnitas ſpecifica; in qua, accedente intellectu, duarum naturarum cernitur conuenientia. Quare ſine operatione intellectus nõ datur vnitas ſpecifica in rebus a numerica diſtincta. Sed de his, & de tota vniuerſalium tractatione Metaphyſici diſputẽt ſubtilius: nos quæ ad intelligentiam Logicæ & reliquarum ſcientiarum, donec ad Metaphyſicã peruenitur, cognitu ſunt magis neceſſaria, attuliſſe arbitramur.

De ſcientiarum artiumque diuiſione.
Cap. XVII.



Ogicæ omnium ſcientiarum inſtrumento operam dare volenti, rudis quædam ſcientiarum notitia multis de cauſſis eſt vtilis, vel potius neceſſaria; & ea præſertim, quod ſæpiſſime in rebus Logicis exponendis, aliarũ ſciẽtiarum fit mentio, ab alijs ſcientijs exempla petũtur, & earum officia, diſcriminaque tanquam nota ſupponuntur: Quare, vtile fore exiſtimaui, ſi quandam rudem ſcientiarum diuiſionem, expli-

cationemque Tyronibus cognoscendam ob ocu los in hac Isagoge proponerem.

Scientiarum igitur diuisionem allaturus, nomine scientiæ hoc loco intelligo cognitionẽ certam, & indubitatam alicuius rei; quæcunque illa sit, hoc est, de genere aliquo entis, pro cuius varia consideratione, variæ oriuntur scientiæ, quæ secantur vt res ipsæ.

Lib. 3. de ani. Prima diuisio, scientia duplex est, vna speculatiua, cuius finis est veritatis cognitio, quæ in sola cogitatione consistit: altera practica, cuius finis est actio & operatio.

Li. 6. Eth. c. 4. 1. Metap. c. 2. Speculatiua, rursus duplex, altera quæ versatur circa entia rationis, traditque instrumenta & methodum ad acquirendas alias scientias, & hęc est ipsa Logica; quæ scientia rationalis nominatur: altera, quę res ipsas docet, quæ realis nuncupatur; illa est vna, hæc vero multiplex. Realis rursus in tres diuiditur partes; in Physicã, Mathematicam & Metaphysicam.

6. Metap. t. 2. 1. Metap. c. 1. 2. Physic. tex. 4. Libr. 1. Cœl. c. 1. Physica, siue physiologia, & naturalium rerũ scientia, est illa quæ versatur in rebus sensibus, & mutationi subiectis, in quibus est principiũ motus, & quietis, vt sunt cœlestes orbes, quattuor elementa, & quæ ex his cõponuntur omnia corpora mista; Quo fit, vt eius subiecta materia, siue obiectum, sit corpus naturale, siue mobile; cuius principia, & passiones tum vniuerse, tũ priuatim considerat, dum de cœlo, de elementis, de mistis anima carentibus, de plantis, & de animalibus agit.

Mathematica, quæ scientia propositam habet quantitatem secũdum varias affectiones; est itaque eius obiectum quantitas secundum se considerata, non vt est in rebus, sed vt imaginatione percipitur, & a motu abstrahit; quæ in varias diuiditur

uiditur partes. Mathematicarum ergo scientiarum, alia dicitur Geometria, quę considerat quātitatem continuam, species nimirum, & affectiones accidentarias dictæ quantitatis, vt lineas, figurasque corporum; alia Arithmetica quæ considerat quantitatem discretam, hoc est numerū, numerorumque affectiones. Atque hæ dicuntur pure mathematicę, quia considerant quantitatę abstrahendo ab omni motu, & sensu. Sunt prete rea aliæ quasi intermediæ inter pure Physicas, & Mathematicas, quæ tamen partes Mathematicæ censentur, Perspectiua, & Musica. Perspectiua continetur sub Geometria, Musica sub Arithmetica: illa considerat lineas, figuras, corporaque, & quantitatem continuam, vt cadit sub sensum videndi, & eas quantitatis affectiones, quę ei adueniunt, vt sub aspectum cadit. Musica vero, cōsiderat numerum, vt cadit sub sensum auditus, proportiones nimirum sonorum, & numerū harmonicum. Rursus ad scientias Mathematicas referuntur Astrologia, & Astronomia: illa motus, conuersiones, aspectusque cœlorum, & syderū speculatur: hæc vero ex cœlorum, & syderū vi, aspectu ve rerum futurarum iudicia facit, sed incerta, & cum ad actus humanos descendit vanissima, & homine prudēti indigna, ac proinde reijciēda: quam etiam M. Tullius vir acerrimi iudicij paruifaciendam putauit.

2. Physic. t. 19.

1. Physic. t. 20.

Lib. 2. de diu.

Metaphysica, latinę, supernaturalis, est scientia vniuersalissima, quæ considerat omnia entia, vt entia sunt, naturas nimirum rerum communes, communesque proprietates, & communissima sciētiarum principia; ac proinde pro obiecto habet ens, vt ens. Priuatim vero considerat, decē rerum genera, intelligentias, Deumque, siue diuina; ac proinde scientia diuina, & prima philosophia

6. Met.

1. Met. c. 3.

ſophia vocari ſolet. Sed de ſciẽtia ſpeculatiua hactenus; nunc practicam ſubdiuidamus.

Scientia practica duplex eſt; altera actiua quæ verſatur in humanis actionibus dirigendis, pro vt ſunt honeſtatis, vel turpitudinis capaces, & ad fęlicitatem obtinendam referuntur: altera factiua quæ dirigit operationes artium, & proprie ars nominatur, quæ eſt recta rerũ faciendarũ ratio.

Lib. 6. Eth.

Scientia actiua in tres ſubdiuiditur partes, in Ethicam, ſiue moralem, in œconomicam, & in politicam. Ethica eſt ſcientia quę ſingulorũ mores tractat, cuius obiectum eſt virtus: œconomica eſt ſcientia quæ familiæ recte gubernandæ rationem tradit, cuius ſubiecta materia eſt domus, ſiue familia. Politica eſt ſcientia, quæ gubernandæ reip. doctrinam explicat; cuius ſubiecta materia eſt ciuitas.

1. Polit.

Practica effectiua, ſiue Ars ſubdiuiditur in eas quæ humanum ſermonem perficiunt, & in ſermone verſantur; vt ſunt Grammatica, Rhetorica, Poetica, & Dialectica: & in eas, quę alias perficiunt operationes humanas; vt pictura, ſculptũra, textoria, & harum ſimiles. Grammatica docet ſermonem congruum, Rhetorica & Poetica ornatum, ſed illa aptum ad perſuadendum, hæc ad delectãdum potiſſimũ, Dialectica ſermonem verũ, methodum nimirum recte diſſerendi, cum in diſſerendo verſetur, vnde & nomen accepit.

Cic. lib. 1. de leg.

Rurſus ars communiter ſumpta diuiditur in artes liberales, & in mechanicas: Liberales illæ dicuntur, quæ ſunt libero & ingenuo homine dignæ; dignæ quæ cognoſcantur, etiamſi inde nihil lucri accedat; quæ ſua natura ingenuum animum exornare valent: Mechanicæ illæ cenſentur, quæ à ſordidis & popularibus hominibus diſcuntur, & lucri, vtilitatisque gratia exercentur.

Atque

Atque hæc ruditer de artium diuiſione deque tota ſuſcepta in hoc opere materia dixiſſe volui; ac proinde in Dei gloriam ſit huic Introductioni finis: quam qui tenuerit, totam Logicę ſubſtantiam tenebit; per quam qui maiores progreſſus in Logica facere, atque grauiores difficultates pcipere voluerit, ad eas percipiendas erit ſatis inſtructus. Quod ſi Tyrones ex noſtris laboribus aliquid vtilitatis capient, Deo omnium bonorũ largitori gratias agant, noſtroſque conatus, & iuuandæ iuuentutis ſtudium, ni rem ipſam, probent.

Libri Sexti Finis.

Laus Deo Opt. Max. & Beatæ Virgini Annuntiatæ.

